NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 D
32
12
14
C
8
Digitized by Google

Digitized by Google

XXVII. 10. 34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUINTI SERENI SAMONICI DE MEDICINA PRÆCEPTA SALUBERRIMA.

ROBERTUS KEUCHENIUS
Ex Veteri Libro restituit, emendavit, illustravit.

Ad Illustrem & Amplissimum Virum,

CORNELIUM DE GRAEF,
Zuidpolsbroeckii Toparcham &c.
Augustissimæ Amstelodamensium
Reipublicæ Consulem.

Ex libris

AMSTELODAMI,

Apud PETRUM VAN DEN BERGE, in Fossa Magnatum, sub signo Montis Parnassi. 1662.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtri ac Ampliſſimo Viro,

D. CORNELIO DE GRAEF,

ZUIDPOLSBROECKII TOPARCHÆ. AUGUSTISS. AMSTELODAMENSIUM REIPUBLICÆ CONSULI, SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS PRÆFECTO, PUBLICI GYMNASII CURATORI.

QUemadmodum naturales quædam imperiorum metæ ſunt & converſiones, Vir Ampliſſime; quæ cum ſingulis ferè ſeculis immutantur; ita literarum etiam ac liberalium artium connexæ periodi ſunt, nec in eodem ſtatu florentiſſimæ perdurant. Ætas enim omnis ut exitium & calamitatem ſuam ſibi ipſa parit, ita rarò ſub-

Digitized by Google

inde ſecum deponit, ſed ad poſteritatem transſmittit, ſive fato quodam, ſive detrimento ſcientiarum. Medicinam, ne longius digrediar, intuere. Quæ quo altius à primis inventoribus ſuis & cultoribus receſſit, eo magis dignitatem & excellentiam ſuam amiſit. Ex quo enim pro ſcientiâ opinio, pro veritate fraudes, alia vitia pro virtutibus invaluerunt; ejus artis omnium antè clariſſimæ quædam quaſi caligo ſuborta fuit, quæ temeritatem & errorem ſecum induxit. Sic ipſa Ratio primùm cum judicio velut obumbrata fuit, & certiſſima medicinę pręſidia ſplendorem & veritatem ſuam exuerunt. Abjectis valetudinis conſervandæ magiſtris, ſolo nomine fuerunt, qui ad hiſtrionum exempla, perſonam agerent-

Digitized by Google

rent, & præ ſanitate curandâ magis ambitionem & lucri ſtrepitum aucuparentur. Exinde factum eſt, è civitate propter ignominiam expulſos fuiſſe medicos, & ſexcentos amplius annos ſine Medicis Romam floruiſſe. Vidit ætas aliqua, periculoſum reipublicæ fuiſſe, valetudinem humanam iis artibus recuperaſſe. Superſtitionem enim ad inſaniam amabant, & magico prodigio magis quàm arte medebantur. Adeò quidem extra naturam ſuam illa ſcientiarum omnium Regina corrupta fuerat, ut fraude magis affectata, quàm virtute ſuâ genuina videretur. Loquuntur illud tot obvia veterum medicorum exempla, qui naturalem paſſim & ſuperſtitioſam medicinam confuderunt. Alexandrum Trallianum,

Aëtium, Æginetam, Actuarium, cæteros omitto, qui Græcorum elogio cenſentur. Ipſi Latini ſunt, qui tacenda magis quàm revelanda chartis ſuis illevêre. Plinius Secundus, Marcellus Empiricus, Serenus Samonicus, luculenta nomina ſunt; quorum nefandæ curæ rem eia, inter Principum Medicorum monumenta adhuc ſpectanda ſuperſunt.

Ne dubites, Vir Illuſtris, Serenum Tibi ſiſto Samonicum; qui quicquid à ratione vel experientiâ ad eam Artem ſaluberrimis præceptis deſcribendam contulit, eodem quandoque ſuperſtitionis genere deformavit. Antonini Caracallæ imperio, quo tempore tot occultis magorum remediis infecta Roma erat, medicinam ſuam exercuit. Oppreſſa ma-

Digitized by Google

lis ejusmodi respublica vix pene suppliciis compesci potuit & à persuasionibus suis revocari. Ignota verborum miracula pro naturæ remediis adhibebantur. Ligaturæ, sortilegia, characteres, obscura rerum vocabula pro consiliis erant. Vivebat tum temporis hic Autor noster, qui brevissimo scriptionis compendio utramque curam commiscuit. Nemo tamen adeò infans rerum est, ut eâ de causâ aspernandum illum putaverit. Aliunde enim corporis humani valetudinem, aliunde animi delectationem peti debere existimamus. Quam eleganter verò universam membrorum seriem ad medicinæ methodum disposuit? Quam jucundè de remediis alibi naturalibus alibi prodigiosis agit, quæ nonnunquam ut vana vel

anilia commenta perſtringit? Veterum autorum, Plauti, Lucretii, Livii, Plinii, cæterorum exempla & teſtimonia paſſim interſerit, & eruditiſſimorum hominum autoritatem commendat. Cepit ille nuper animum & induſtriam meam, cum privatis adhuc ſtudiis in Gelria diſtentus, de publica literarum cura vel utilitate demereri conarer. Ex quo enim Perilluſtrium ac Prudentiſſimorum hujus Gymnaſii Curatorum incomparabili beneficio, Tuo imprimis, Vir Ampliſſime, humaniſſimo conſenſu ad hiſtoriam Romanam publicè profitendam evocatus ſum; duo potiſſimum mei muneris exiſtimabam fore, ut eloquentiâ ſimul ac ſcriptione prodeſſem. Intempeſtivum fortaſſe quidam illud, vel arrogantiæ

Digitized by Google

gantiæ meæ, vel nimiæ fiduciæ imputabunt. A quibus tamen ambitionis generibus quàm longissimè absum. Officii mei fuisse, nec isti Scriptori lucem, nec illustri Tuo nomini observantiam denegare; boni, quotquot eruditi supersunt, omnes fatebuntur. Proinde gemino simul affectu prodesse volui, & industriam & obsequium meum experiri. Sic ut non illis humani generis ostentationibus hanc in me provinciam arripiam, sed animi mei necessario impulsu, cui nihil adhuc defuisse significem, præter remunerandi facultatem. Equidem lubens fateri debeo, majoris quid operis beneficiis Tuis repræsentari debuisse. Sed ut Græculi istius Augusto Cæsari denarium donantis mea verba facim, Οὐ κατὰ τύχην τὴν σὴν Σεβαστε, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.

Digitized by Google

Non est quidem juxta fortunam tuam, Auguste, si plus haberem, plus darem. Debui Tuis etiam infinitis in Rempublicam hanc meritis, debui summis virtutibus, quibus felicitatem ac incrementa sua continua debet Urbium Regina, & orbis universa civitas. Loquuntur id mecum tot egregia passim civium tuorum ora, quorum amorem, unum & inexpugnabile munimentum jam dudum demeruisti. Ut nihil jam de Proavis Tuis hic dicam, id unum addidisse suffecerit, divam eorum memoriam æternis omnium bonorum animis inscriptam asservari. Vale diu, Vir Amplissime, Patriæ Tuæ, Civium ac Eruditorum bono, omnium exemplo; & in spe generis Tui, Paribus Filiis, renascere; quibus jam gloriari

poteris,

Digitized by Google

poteris, quod olim ad Latinum Alcimum Alethium Ausonius scripsit, Morum Tuorum, decoris & facundiæ Te formam dedisse. Præter votum hoc nihil habeo. Ex museo meo, ad Amstelam. MDCLXII. prid. Calend. Majas.

Illustri Tuo nomini

Dicatissimus

ROBERTUS KEUCHENIUS. S. F.

Digitized by Google

Clarissimo ac Consultissimo Viro

ROBERTO KEUCHENIO J.C.to

Q. SERENI SAMONICI

Præcepta Medica

Feliciter restituenti.

IMpulit innumeros rerum mirabilis ordo
Naturæ abstrusas enucleare vias.
Attamen in multis manet occultata, nec illam
Qua patet, in clara luce videre licet.
Quæ nebulæ veterum mentes tenuêre, per orbem
Sparsæ, postgenitos implicuere novis.
Ingeniosa quidem fingit natura stupendo
Corporis humani membra venusta modo.
At varios casus, morbique tot agmina, natis,
Obvia corporibus, quis numerare queat?
Huic inventa malo Medicina levamina præbet.
Sæpe tamen Medica plus valet arte malum.
Maxima debetur merces Doctoribus istis,
Qui facili morbos arte levare student.
Floruit hos inter prisco SAMONICUS *ævo*
Præscribens tenui dogma salubre libro.
Hunc ut commodius discentis cura teneret,
Divitis ingenii carmine pandit opes.

In

In tenebris iacuere diu, mendisque ſcatebant
Scripta, quibus morbos prompta medela fuget:
Pharmaca corporibus ſcripſit SAMONICUS *ægris;*
Ipſe tamen medica ſcriptor egebat ope.
Hoc animadvertens calido KEUCHENIUS *auſu*
Auxiliatrices admovet ipſe manus.
Eruit è coeno vigili ſudore libellum,
Et facit, ut cultu ſplendidiore micet.
Non minor huic igitur debetur gloria, quam ſi
Ipſemet hoc primus compoſuiſſet opus.

ALIUD EIUSDEM.

SEreniori nunc SERENI *Carmina*
Producta cultu grandiores adferent
Fructus legenti. Quid iuvabit condere
Præcepta ſeclo commodum parantia,
Si negligentes iſta turpant poſteri?
Id cum videret contigiſſe plurimis
Vetuſtioris ſeculi ſcriptoribus,
Ille eruditæ gentis inclitum decus,
Et arte præſtans Muſica KEUCHENIUS,
Exiſtimavit, hoc ſuis incumbere
Curis, mederi noxiis erroribus,
Denſæque noctis tot tenebras tollere.
Id eleganter in NEPOTIS *præſtitit*
Scriptis diſertis, inque FRONTINI *libris.*
Maculiſque pulsis & remotis ſordibus
Utrumque tandem luce perfudit nova.
Nil contremiſcens obſtrepentes invidos.

Qualis

Digitized by Google

Qualis caballus præterit turbam levem
Canum sequentum, despicitque murmura.
Idem salubri nunc libello contulit,
Tot perpolitis qui repletus versibus
Artem medendi tradit accuratius.
At is laborans labe vix sanabili,
Librariorum culpa quam congesserat,
Manum medentis postulabat. Annuit
ROBERTUS *Ille, plurimorum judicans*
Hanc rem saluti profuturam, si libro
Ægros juvanti tam benigne non foret
Negata cura. Prodit ergo luminis
Dias in oras hic SERENUS *candido*
Fulgens nitore, vindicatus Pharmaco,
Ex literato quod petitum pectore
Famam perennem conferet KEUCHENIO.

Ad Amstelam applaudebat

JOHANNES CHRISTENIUS.

Q. SERENI SAMONICI DE MEDICINA

Præcepta Saluberrima.

Membrorum ſeries certo deducta tenore
Ut ſtet, & aſſimilis medicinæ defluat ordo,
Principio celſa de corporis arce loquamur.
Phœbe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen;
Inventúmque tuum prompto comitare favore.
Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, & in cœlum manes revocare ſepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placidi tectus ſub pelle draconis,
Tarpejas arces, atque inclyta templa petiſti,
Depellens tetros præſenti numine morbos,
Huc ades, & quicquid cupido mihi ſæpe roganti
Firmaſti, cunctum teneris expone papyris.

Capiti Medendo.

Balſama ſi geminis inſtillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.
Vel quæ ſeptenis cenſentur gramina nodis,
Utiliter nectis, vel corno ex arbore ſertum.
Pulegiúmve potens una ſuper aure locabis,
Aut illud miſto recoquens clementer aceto,
Cauta nare trahes, ſeu viſco lintea nexo
Induces fronti, ſeu tritæ gramina menthæ.
Spongia cum tepidis annexa liquoribus imbris
Profuit, aut hedera ex oleo decocta vetuſto.
Profuit & cochleis frontem tractare minutis.
Si nocuit cerebro violentia ſolis aperto,
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanavit, proſunt & amica papavera ſomno,
Si prius in lento madefacta coquantur olivo.

Qualis caballus præterit turbam levem
Canum ſequentum, deſpicitque murmura.
Idem ſalubri nunc libello contulit,
Tot perpolitis qui repletus verſibus
Artem medendi tradit accuratius.
At is laborans labe vix ſanabili,
Librariorum culpa quam congeſſerat,
Manum medentis poſtulabat. Annuit
ROBERTUS *Ille, plurimorum judicans*
Hanc rem ſaluti profuturam, ſi libro
Ægros juvanti tam benigne non foret
Negata cura. Prodit ergo luminis
Dias in oras hic SERENUS *candido*
Fulgens nitore, vindicatus Pharmaco,
Ex literato quod petitum pectore
Famam perennem conferet KEUCHENIO.

Ad Amſtelam applaudebat

JOHANNES CHRISTENIUS.

Q. SERENI SAMONICI DE MEDICINA

PRÆCEPTA SALUBERRIMA.

MEmbrorum series certo deducta tenore
Ut stet, & assimilis medicinæ defluat ordo,
Principio celsa de corporis arce loquamur.
Phœbe salutiferum, quod pangimus, assere carmen;
Inventúmque tuum prompto comitare favore.
Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, & in cœlum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placidi tectus sub pelle draconis,
Tarpejas arces, atque inclyta templa petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpe roganti
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

CAPITI MEDENDO.

BAlsama si geminis instillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.
Vel quæ septenis censentur gramina nodis,
Utiliter nectis, vel corno ex arbore sertum.
Pulegiúmve potens una super aure locabis,
Aut illud misto recoquens clementer aceto,
Cauta nare trahes, seu visco lintea nexo
Induces fronti, seu tritæ gramina menthæ.
Spongia cum tepidis annexa liquoribus imbris
Profuit, aut hedera ex oleo decocta vetusto.
Profuit & cochleis frontem tractare minutis.
Si nocuit cerebro violentia solis aperto,
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanavit, prosunt & amica papavera somno,
Si prius in lento madefacta coquantur olivo.

Digitized by Google

Hemicranio Medendo.

Portio si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diversam lana contecta per aurem
Inducta prosunt, & eodem balsama pacto:
Allia vel ternis piperis terna addita granis
Trita lines, certam dabit hæc tibi cura salutem.

Porrigini Depellendæ.

Est insensibilis morbus, sed noxia forma,
Quum caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis.
Hanc poterit maluæ radix decocta levare.
Aut tu fœniculum nitrúmque & sulphura viva
Contere, deinde caput permistis ablue cunctis:
Furfuribúsve novis durum miscebis acetum,
Ut varios crines tali des unguine puros.
Prodest & tarda demptus testudine sanguis,
Et prodest cedro demissus ab arbore succus.
Desinit interea glomerari farrea nubes,
Cessabitque gravis crebræ porriginis imber.

Capillo Tingendo.

Quos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare doloso.
His prodest acri contrita cupressus aceto,
Vel frons lentisci, vel tristia poma sabuci,
Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo,
Et juvenem præstant redivivo flore capillum.
Præterea niveum poterit depellere crinem,
Resina ex facili cera viscóque coacta.
Ad rutilam speciem nigros flavescere crines,
Unguento cineris prædixit Tullius autor.
Si prægnans artus captivi soricis edit,
Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.

PHTHI-

Digitized by Google

Phthiriasi Arcendæ.

NOxia corporibus quædam de corpore noſtro
Progenuit natura, volens abrumpere ſomnos,
Senſibus & monitis vigiles incendere curas.
Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi,
Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci.
Sæpius ergo decet mordax haurire ſinapi,
Vel nitro ac ſale permiſtis, acidóque liquore
Laxatis (ut ſint ſimul allia) tangere corpus,
Aut lacrymis hederæ, aut ſucco perducere cedri.
Quinetiam furfur miſto medicatur aceto.
Unda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quicquid crebri defendit ſylva capilli.

Prurigini, Papulis Ac Scabiei Arcendis.

ILlotus ſudor, vel copia nobilis eſcæ,
Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.
Ergo lutum prodeſt membris adhibere fricatis,
Quod facit ex aſino ſiccatus corporis humor.
Nec pudeat tractare fimum quem bucula fudit.
Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
Sic pavidum corpus dextra parcente foveto.
Proderit ex oleo pulvis quem congerit altè
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.
Convenit hinc tepido lita tradere corpora ſoli.
Ferventes papulas oleo curato liquenti:
Aut acido Baccho miſcebis farra lupini,
Atque hinc in calido percurres membra lavacro.
Pruritus autem ſalſos levat humor aceti,
Sive maris rabidi ſudor, cochléæque minutæ,
Quarum contactu perimetur acerba libido.

Digitized by Google

PHRENESI ET CAPITI PURGANDO.

EX vitio cerebri phrenesis furiosa movetur,
Amissásque refert frendens amentia vires.
Sive calens febris jactatos exedit artus,
Sive meri gustus seu frigoris efficit aura,
Conveniet calidis pecudum pulmonibus aptè
Tempora languentis medica redimire corona.
Illotis etiam lanis suffire memento.
Ceritum sæpe horrendi medicantur odores,
Atque ideo sanos etiam curarier est par.
Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri,
Ungitur & succis dederit quos parva sabucus,
Expressúsque hederæ mandatur naribus humor.
Aut mistum rutæ cerebro instillatur acetum.
Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
Cura magis prodest venturis obvia morbis.

DE FLUORE CAPILLORUM ET MACULIS CAPITIS TOLLENDIS.

DEfluit expulsus morbo latitante capillus,
Si rarò lavitur, seu vis epota veneni,
Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.
Nonnunquam variant maculæ, parvísque parumper
Orbibus aspersum ducit nova vulnera tempus:
Vipereæ pellis cinerem his addito rebus,
Roboreásve pilas ursino jungito sevo:
Vel testudineo mala permulceto cruore.

HUMORIBUS ET PERFRICTIONIBUS MEDENDIS.

SÆpe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus
Ut vix quæsito medicamine pulsa recedat.
Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem,
Membra fove. parili sanat ratione rigorem

Ur-

Digitized by Google

Urticæ semen, perceptáque frigora vincit.
Et cervina potest mulcere medulla rigorem.
Decoctum raphani semen cum melle vorabis,
Sive fel ursinum tepefacta dilue lympha.
Proderit hoc potu: seu cassis ostrea testis
Usta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis
Decutiet gelidum calefacto vertice virus.
Nonnullus liquidum sumit, mulsumque sinapi,
Atque palato agitat retinénsque voménsque.
Allia nonnulli mandunt, oleíve liquore
Perfundunt calido cerebrum, nasique latebras.
Quidam lactucæ credunt prodesse sapores.
Curandi modus hic & suavis & utilis idem est.

Elephantiasi Propellendæ.

Est elephas morbus tristi quoque nomine dirus,
Non solùm turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funesto fata veneno.
Huic erit adversus cedri de cortice succus,
Mustellæque cinis, vel fusus sanguis ab illa.
Nonnulli dixere serum prodesse bibendo.
Mentastri folium potu appositúque salubre est.
Nec frustra bulbos & sulphura jungis aceto.
Præterea nitrum debes cum melle jugatum
Spargere lacte bovis, varias sic ungere frontes.
Cerussam, & chartam quam gens Ægyptia mittit,
Tunde simul, miscéque oleum quod flore rosarum
Conditum est: line sic faciem, sic redde salutem.

Cutis Et Faciei Vitiis Propellendis.

Invida si maculet faciem lentigo decoram,
Nec prodesse valent naturæ dona benignæ,
Erucam atque acidum laticem simul illine malis.
Proderit & bulbus mellis dulcedine victus,
Crudáve dulcacido miscebis rapa liquori.

Sanguine vel leporis morbus delabitur oris.
Frons ſalicis cum flore ſuo contrita medetur.
Sepiolæ cineres ex oſſibus omnia tollunt.
Cygnæos adipes hilari miſceto Lyæo,
Omne malum properè maculoſo ex ore fugabis.
Horrebit ſi livor atrox aut nigra cicatrix,
Attrito ſapone genas purgare memento,
Rugarum ſulcos lentiſci maſtiche tendens.
Si verò vitium eſt quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere ſaliva,
Seu folio platani, quod manſum manè vorabis.
Fœda fluunt curvi quæ purgamenta cameli,
Urentur, cinerémque dabunt, jungentur aceto
Maſcula thura ſimul, divináque cura valebit.

Aurium Vitiis Succurendis.

QUum ſævus teneras dolor altè ſauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea ſuccum
Inſtilles, ſive obſcœnos ex virgine rores,
Aut ſuccum ex folio dederit quem populus alba:
Sæpe chelidoniæ rapidum ſociatur acetum,
Adjunctóque nitro procedit cura ſalubris.
Mentaſtri liquor expreſſus conducere fertur.
Infectum violis oleum bene conſulit auri.
Annoſa rubros ſi legeris arbore vermes,
Ex oleo tere, ſic tepidos infunde dolenti.
Si verò obtuſa ſenſus remoretur in aure,
Lumbricos terræ, ſevúmque ex anſere rauco
Excoque: ſic veterem poteris depellere morbum.
Félque bovis ſurdis etiam prodeſſe loquuntur,
Si jungas olidæ grave quod minxere capellæ.
Si verò incautas animal penetraverit aures,
Proderit admiſto pavidi fel muris aceto.
At ſi lympha nocens pervaſerit, anſeris aptus
Immittetur adeps ceparum non ſine ſucco:
Qui gravis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget.

Vis & Phœbigenæ divinam discere curam,
Sitque vel annosis confecta doloribus auris,
Allia tum septem numero septémque lupinos
Cretaceam dabis in testam: tum Delphica frondis
Addatur, misto totum fervescat aceto:
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

Oculorum Dolori Mitigando

Summa boni est, alacres homini contingere visus.
Quos quasi custodes defensoréſque pericli
Prospiciens summa natura locavit in arce:
Sic tamen ut nullos paterentur desuper ictus,
Atque supercilio pavidi tegerentur opaco.
Sed dolor immeritum lumen si fortè lacessit,
Lana madens oleo noctu connectitur aptè,
Viventisve nepæ lumen gestatur amicum.
Ex folio caulis cineres, confractáque thura
Et laticem Bacchi fœtæ cum lacte capellæ,
Desuper induces, atque una nocte probabis.
Hyblæi mellis succi cum felle caprino
Subveniunt oculis dira caligine pressis.
Vettonicæ mansus siccabit lumina succus.
Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, vel vulturis atri
Fella chelidoniæ fuerint quîs gramina mista.
Hæc etiam annosis poterunt succurrere morbis.
Fel quoque de gallo mollitum simplice lympha
Exacuet puros dempta caligine visus.
Sive columbarum fimus miscetur aceto,
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.
Vina chelidoniæ simili ratione jugantur,
Efficiúntque suo præclaros unguine visus:
Aspera quinetiam mulcent & rupta reducunt.
Si genus est morbi, miserum quod lumen adurit,

Hic calor infuso mitescit lacte canino.
Anguibus ereptos adipes ærugine misce,
Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.
Si verò horrendum ducunt glaucomata peplum,
Spiritus alterius prodest qui grani cumini
Pallentis mandens visus exhalat in ipsos.
Si tumor insolitus typho se tollat inani,
Turgentes oculos vili circumline cœno.

DENTIUM VITIO, ET ORIS FÆTORI MEDENDO.

HAud facile est acrem dentis tolerare dolorem,
Quo magis est æquum medicam pernoscere curam.
Quum Baccho violas decoxeris, ore teneto.
Mansus item prodest succis oleaster acerbis:
Hinc oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.
Cum vino piper & nitro tepidum inde dolenti.
Sæpe chelidoniæ succo vel lacte capellæ
Sanescunt dentes, aut tauri felle juvantur.
Aut acidi latices clauso voluuntur in ore.
Manditur apta rubus gingivis, & bona labris
Lentiscus, myrtúsque emendant oris odorem.
Quod verò assumpsit nomen de dente fricando,
Cervino ex cornu cinis est: aut ungula porcæ
Torrida, vel cinis ex ovis, sed non sine vino,
Muricis aut tosti, vel bulbi extincta favilla.
Ambitiosa putas, sunt ista salubria cunctis.
Exesos autem dentes si fortè querêris,
Ure fimum muris, patulis & hiatibus adde:
Vel cinerem dentis cervini extinguere aceto.
Convenit atque cavis immittere partibus aptè.
Prodest & pulvis lumbrici corpore tosto.
Ora ambusta cibo sanabis lacte canino.
Sæpe etiam gelida gingivas collue lympha,

Den-

Digitized by Google

Dentibus ut firmum possis servare vigorem.
Si vero infandum proserpit ad intima vulnus,
Permisceto salem parili cum pondere thuris,
Hinc tractato locum, miram experiere medelam.
Aut tu sume pilam quæ caudis hæret ovinis,
Hæc siccata dabit molles & fracta farinas,
Hujus & attritu tetrum mulcebitur ulcus.

Uvæ, Faucibus, Collo, Et Quæ Mollienda Sunt, Medendis.

Ægrescunt teneræ fauces, quum frigoris atri
Vis subiit, vel quum ventis agitabilis aer
Vertitur, atque ipsas flatusgravis inficit undas,
Vel rabidus clamor fracto quum forte sonore
Planum radit iter, sic est Hortensius olim
Absumptus: causis etenim confectus agendis
Obticuit, quum vox domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diserti.
Ergo omni studio quæres inhibere dolorem.
Simplicibus lymphis confunditur aërium mel,
Additur excussus nivea similagine furfur,
Decocta hæc clauso simul exercentur in ore.
Præterea fauces extrinsecus ungere prodest
Ursino & tauri sevo, cerísque remissis,
Omnia quæ geminis æquabis lancibus anté.
Disce etiam miram ex humili medicamine curam.
Actiaco melli jungas agreste papaver,
Decoctúmque simul mandes, mansumque vorabis.
Crinitæ porri radices quinque coquantur,
Hinc aqua non feruens voluatur fauce sonora,
Nec tamen in stomachum descendat gutta patentem.
Si verò afflictam languor dejecerit uvam,
Tunc horas aliquot pronus recubare memento:
Aut illam pulvis tosti relevabit anethi,
Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.

Digitized by Google

Verùm angina sibi mistum sale poscit acetum,
Quod refert clauso versatum agitare palato.

De Rigore Cervicis.

At si cervices duratáque colla rigebunt,
Mira loquar, geminus mulcebitur unguine poples,
Hinc longùm pariter nervos medicina sequetur.
Anseris aut pingui torpentia colla fovetis.
Illinitur valido multùm lens cocta in aceto,
Aut capræ fimus & bulbi: aut cervina medulla,
Hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.
Quos autem vocitant tolles, attingere dextra
Debebis qua gryllus erit pressante peremptus.

Tussi Et Choleribus Medendis.

Noxia si penitus cholerum sævire venena
Perspicies, cocta lactucæ fronde levabis:
Proderit & caules assumere sæpe madentes.
Interdum fauces tussi quatiuntur atroci,
Allia tum sumes decocta & melle peruncta,
Seminà vel raphani permisto dulcia melle.
Aut si fraxinea semen de fronde revellis,
Interiora vora vetitus contingere dente.
Ovum melle teres domitum ferventibus undis,
Marrubiúmve potens: hæc faucibus optima sumes,
Frænabísque gravem facili medicamine tussim.

Digestioni Et Stomacho Medendo.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra:
At contra ejusdem fraguntur cuncta dolore.
Quin etiam (nisi cura juvat) vitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc avertere sensus.

Lactu-

Lactucæ ſemen nigræ quod lignea pila
Triverit admiſto jejunus ſumito melle,
Sed cochlear trinum guſtu tibi ſufficit uno.
Aut tritum ſemen raphani mulſumque juvabit:
Sive duæ partes abſinthi, & tertia rutæ
Decoctis potantur aquis, ſiliquæque madentes,
Semina vel marathri fœtæ cum lacte capellæ.
Pulegium quoque decoctum curabit amicé.
Et potu & fotu ſtomacho conducit acetum.
Seu cochleas undis calefactas ac propè victas
Suppoſitis torre prunis, vinóque garóque
Perfuſas cape: ſed prodeſt magis eſſe marinas.
At malè digeſtis ſi crapula ſæviet eſcis,
Ex pipere & calida florem de rore marino
Ebibe: ſeu ſalibus piper adde, & tenue cûminum,
Quæ coctis tinges epulis, & rapta vorabis.
Aut cubitum pergens ſuccum cape triſtis aceti.
Ventriculis mergi raptus ſal tritus & uſtus
Toſto pane ſuper, piperis quoque pulvere multo
Miſcentúr, capies divinum munus in iſtis.
Proderit hoc ſtomacho, victas & concoquet eſcas:
Grana perègrini piperis diffundito quinque,
Niliaco melli quæ manè inſerta capeſſes.

Felli, Vomitui, Vel Phthisi Arcendis.

Lutea ſi creſcunt & cunctis noxia fella,
Allia parva novem, piperis tot permole grana,
Quæ cyatho diluta gari mandèſque bibéſque:
Hæc iterum ſeptena capis, pòſt denique quina.
Præterea caules, frondet ſi parva ſabucus,
Decoctos ſale permiſces, ac jungis olivo:
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.
Proſunt & pelagi latices, quos pondere juſto
Dulcibus aſſocias lymphis mellique liquenti.

Et niveus prodest ex ubere succus asellæ,
Si tepido vinum infundas ac mella pipérque.
At vomitum radix narcissi pota movebit.
Si verò phthisis annoso sedet improba morbo,
Intritas vino cochleas hausisse juvabit.
Proderit & veteris sevi pila sumpta suilli.
Carne asinæ sevóque capræ medicina salubris.

MAMMIS SANANDIS VEL STRINGENDIS.

UBera fœcundo multùm lactantia succo
Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt:
Fæce igitur valida duri reprimentur aceti.
Post partum tumidas injustè assurgere mammas
Interdum aspicies: harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluvio sedare liquore.
Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge corymbos.
Si castigatas studium est præstare papillas,
Ex hedera sertis ambas redimire memento,
Protinus & raptas fumis mandare coronas:
Anseris aut sevum pariter cum lacte tepenti,
Aut ovum illinito tulerit quod garrula perdix.
Præterea pluvio decocta papavera rore
Hærescunt multis pòst dissolvenda diebus.
Vis & Phœbigenæ cælestia sumere dona,
Ubera quum tetris laniata doloribus urgent?
Navis ramentum, & quæ nomine prassion herba est,
Et quæ vulgari sermone Insana vocatur,
(Græcos hyoscyamon propria scito dicere lingua)
Nec non & calami radix lapathique legumen
Mista dabunt miras (experto crede) medelas.

REJECTIONI CIBI AUT SANGUINIS RESTRINGENDÆ.

SI stomachus nondum concoctas expuit escas,
Et magis atque magis vitium revomendo valescit,
Allia

Allia cedemus, crebrúmque trahemus odorem.
Sin etiam rutilus fertur de pectore sanguis,
Sorbitium menthæ, raphanus vel cocta juvabit.
Sæpe lapis teritur (specularem nomine dicunt)
Et mistis hauritur aquis, sistitque cruorem.
Uritur interdum raptus de robore cortex,
Et cinis ex calido prodest epota Lyæo,
Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique mellis,
Aut mansus salicum fructus prodesse putatur,
Aut platani pilulas acri infundemus aceto:
Nullus erit sanguis, quem non cibus iste moretur.

JECORIS ET LATERIS VITIIS MEDENDIS.

SI molles jecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulsa potanda elelisphacus herba est:
Sumitur & semen quod fraxinus alta profudit,
Vulturis atque jecur, vel jus perdicis apricæ.
Præterea simili drachma pix dura pipérque
Franguntur, sic in mollito pulvere juncta
Egelidis miscentur aquis, recreántque bibentem.
Absinthi quoque decocti potabitur humor.
Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accensum tinges lapidem stridentibus undis,
Hinc bibis: aut aceris radicem tundis, & unà
Cum vino capis: hoc præsens medicamen habetur.
Quid referam multis composta Philonia rebus?
Quid loquar antidotum variis? quis ista requirat?
At nos pauperibus præcepta feramus amica.
Necnon & jecoris quæretur fibra lupini,
Jungentúrque simul costum foliúmque pipérque,
Quæ diluta mero dantur potanda Lyæo.
Est & vis morbi quod telum commemoratur,
Quum subito dolor insanus furit incitus ictu.
Persicon huic potum è nuce traditur interiore,
Quæ mihi cura satis casu monstrante probata est.

SPLE-

Spleni Curando.

QUando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum splenis demonstrant membra rigorem,
Mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis,
Hinc trahet assuetos æger quoscunque liquores:
Aut viridis coctorum holerum potabitur unda.
Proderit exucto fluvialis hirudo cruore,
Sive myrica potens, seu ros cum pane marinus,
Aut hederæ succus potu appositúque juvabit.
Necnon intactam ferro quam videris alnum,
Huic liber eripitur ferro sine, decoquitúrque
Donec victarum pars tertia subsit aquarúm.
Hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.
Nonnulli memorant consumi posse lienem,
Ervum si semper jejuno sumpserit ore.
Arida ficus item fervente domatur aceto,
Et trita illinitur, vel splen apponitur hœdi.
Marrubium in vino potum prodesse loquuntur.
Præterea piper ac nepetæ cum flore & anethum.
Capparis atque apium, buglossáque jungitur uná:
Horum decoctos latices potare salubre est.
Pulegium, abrotonum nitida cum mastiche coctum,
Ac thymbræ speciem quam comemorant cephaloten,
Prædixit spleni deus Idæ posse mederi.
Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.
Splen tumidus nocet, & risum tamen addit ineptum,
Ut mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quæ miseris permiscent gaudia fatis.
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
Perpetúóque æuo frontem præstare severam.

Præcordiis Sanandis.

LAnguida si duro turgent præcordia morbo,
Miscetur mulsæ farris sextarius unus,

Nec

Digitized by Google

Nec non & lini tunſum ſiliquæque legumen.
Hæc decocta ſimul, nondúmque tepentia nectes.
Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris,
Cocta lines, durum ut poſſis mollire tumorem.
Ocima præterea, bulbive linuntur amari.
Proderit & lymphis corpus merſare marinis.
Quinetiam catulum lactantem apponere membris
Convenit: omne malum tranſcurrere fertur in illum:
Cui tamen extincto munus debetur humandi.
Humanos quoque contactus mala tanta ſequuntur,
Et junctus vitium ducit de conjuge conjux.
Quod ſupereſt thridaci junges ramenta carinæ,
Quódque decem ex rebus conſit ſimul atque vocatur,
Maſtichis addentur fractæ jam mollia farra.
Talibus auxiliis præcordia tuta reſident.

Lumbis Et Renibus Sanandis.

QUm ſævit penitis hærens injuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus undis:
Hoc poteris potu triſtem ſuperare dolorem:
Aut pice cum melli nitrum ſulphurque & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iiſdem:
Proderit hanc ægris crebrò perducere membris.
Aut caput aſparagi cum vino ſume vetuſto,
Seu mavis appone: modus conducit uterque.
Aut adipi miſtum lumbis inducito ſulphur.
Sæpe chelidoniam cum ſucco Palladis addes,
Farráque quæ tremulis proſunt ſudantia flammis.
Fertur amygdalinæ ſuccus nucis eſſe bibendus:
Pinſitur, ac tepidis ſorbebitur addita lymphis.
Aut tres ex vino cochleas ferveſcere coges,
Cúmque ſuis domibus franges, piperis quoque grana
Ter quinque adjicias, potúque juvaberis illo.
Furfur item parca fuerit quum fervidus unda,
Pòſt oleo madidus ſaccis immittitur aptis,

Digitized by Google

Quos vix passuris urentes addito membris.
Prodest cervinæ vehemens natura medullæ:
Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorem:
Aut mistam teneris maluam contundito porris,
Contritúmque simul cum mastiche confer anethum:
Quódque decem rebus componi ex nomine clarum est.
His continge locum. Deus hæc mihi certa probavit.

VENTRIS DOLORI MITIGANDO.

SI dolor insanus tota desævit in alvo,
Heminis tribus in lympha tu decoque tritum
In vino prius hyssopum, validam quoque rutam
Atque apium, donec pars duplex desit aquarum
Potus erit medicus non detrectante palato.
Præterea nivei sterilis testa uritur ovi,
Quæ postquam in tetram fuerit conversa farinam,
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.
Nec non jungenda est utero nova virga myricæ.
Illæsá hæc ferro terráque intacta, teratur.
Aut medio ventris prodest aspergere terram
Quam signaverunt vestigia pressa rotarum.
Proderit & pulvis facili sub cardine raptus.
Quinetiam ex lymphis tritum potare cuminum
Conveniet: quod jam nobis documenta probarunt.
Menthа quoque hoc pacto medicos dabit hausta sapores.
Cœliacos autem recreabis pane salubri,
Quem madido farre efficies ac mollibus ovis,
Quorum testa fero prius evanescere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo.
Cúmque his Lenæi durum potare fluentum.

HYDROPISI DEPELLENDÆ.

COrrupti jecoris vitio vel splenis, acerbus
Crescit hydrops, aut cum siccatæ febre medullæ,

Atque

Digitized by Google

Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,
Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.
Conveniet teneræ radix decocta ſabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.
Nec non & tepidis convolves corpus arenis:
Appoſituque lenes nepetæ guſtúque juvabunt.
Helleboro quoque purgatur lymphaticus error,
Aut hujus vice quod fert ſemen lenta geniſta
Miſcetur mulſis, & cautis ducitur undis.
Sæpe & ſcillino pelluntur noxia Baccho.
Eſt qui prævalidum frixo ſale miſcet acetum.
Atque olei ſucco refricant turgentia membra.
Fraxineum ſemen cum Bacchi rore bibendum eſt.
Nec non appoſito curantur dropaçe membra,
Aut calido filicis radicem mollit Jaccho,
Qui ſubitò raptos ventos ſuccóſque revellit:
Unguine quo frangit vires languoris aquoſi.

VENTRI MOLLIENDO.

SÆpe cibi ſpecie, vitio vel corporis ipſo,
Potibus aut duris reſtricta morabitur alvus.
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cujus aquam cocti minimo cum melle bibemus.
Prunáque conveniunt quæ mittit clara Damaſcus.
Multos præterea medici componere ſuccos
Aſſuerunt: pretioſa tamen quum veneris emptum,
Fallêris, fruſtráque immenſa nomiſmata fundes.
Quin age, & in tenui certam cognoſce ſalutem,
Aut igitur tectum lana ſupponis alumen,
Aut edis in patinis teneræ decocta ſabuci,
Vel cum lacte capræ ſalſum mulſumque capeſſes.
Crede tamen potum meliorem lactis equini:
Dicitur hic validos aſinæ pervincere ſuccos.
Sylveſtris fici lacrymam prodeſſe loquuntur.

Quódque satis melius verbis dicemus Horatî,
Mugilis, & viles pellent obstantia conchæ.
Sed cochleas prius est urtica aut furfure pasci,
Purior hinc gustus noxa sine moverit alvum.
Sæpe thalassomeli adjecto cumulavimus imbri:
Hæc purgant, parili fuerint si pondere mista

Solutioni Ventris, Et Dysenteriæ Compescendæ.

Tam varii casus mortalia secla fatigant,
Ut sint diversis obnoxia corpora morbis.
Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alui:
Frænat commisto quum fervet brassica vino,
Aut cerasi victum longo jam tempore pomum.
Succus aminææ vitis cum pane medetur:
Vel bene permistnm calida potatur acetum.
Vile quidem fàcili facto, tamen utile opinor,
Si lædunt medica data purgatoria dextra,
Adjecto piperis medicatur pulvere calda.
Sin autem longo decurrent intima fluxu,
Atque immane malum multo jam tempore gliscit,
Torridus ex vino cortex potabitur ovi.
Ramentum nivei credunt prodesse elephantis.
Arbore Pyramea cortex direpta coquetur
Axe sub æthereo: sic nigro mista Lyæo,
Immensum poterit potu retinere fluorem.
Nnminis aut jussu cedrum cum mastiche misces,
Mollitámque picem, & rasum de navibus unguen:
Languida quo fidens medicamine membra fovebis.
Proderit & pueris quos dentis origo fatigat,
Castaneas coxisse nuces & sorba vetusta,
Atque apium, cauléscue rubus quos fundit acuta:
Potio quæ fluidam consumpta morabitur alvum.

Lum-

Digitized by Google

Lumbricis Et Tineis Purgandis.

Quid non adversum miseris mortalibus addit
Natura, interno quum viscere tinea serpens,
Et lumbricus edax vivant inimica creanti?
Quód genus assiduo laniat præcordia morsu.
Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret,
Obsessásque vias vitæ concludit anhelæ.
Ergo cinis cornú cervini proderit haustus,
Vel nepetæ tritum ex vino vel lacte capellæ:
Nec non & succus medici potatur aceti.
Prodest præterea cum Baccho persica frondis.
Democritus memorat menthæ conducere potum.
Sumitur abrotonum, nec non & vile melanthum.
Allia per sese sanant, aut jus coriandri.
Quin & marrubium decoctum haustúmque júvabit,
Pulegiúmve potens & agreste jugatur anethum:
Synthesis hæç prodest unda mollita calenti.

Colo Sedando.

Quum colus (invisum morbi genus) intima carpit,
Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt,
Aut pavidi leporis madefacta coagula pota.
Sive apio nepetas tereti cum mastiche junges,
Nec non & species ambas redolentis anethi,
Quarum decoctos patiens haurito liquores.

Vesicæ Et Calculo Purgando, Et Urinæ Provocandæ.

Sicui vesicæ tardus cunctabitúr humor,
Hæc mora rumpetur vino pernicta vetusto.
Prodest ex parvis acinos potare sabucis,
Aut hederæ succum, aut lacrymosi trita sinapis.
Nec non resinas ex Oricia terebintho

Digitized by Google

In ſpeciem erviliæ parvos glomerabis in orbes,
Quos ternos tepida miſtos hauſiſſe medela eſt.
Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obſcœnóque inficit imbri:
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus:
Vel nepetæ ex vino tritum vel lacte capellæ.
Tum leporis cerebrum ex vino potare juvabit.
Si dolor internam veſicæ concoquit alvum,
Subveniet radix frondoſæ epota cupreſſi,
Pulegiúmve potens domitum ferventibus undis.
Si verò in lapides denſus convertitur humor,
Qui retinet curſus, gemitúmque dolore frequentat,
Saxifragam ſeu fontigenam ſuccurre credunt.
Præterea ſemen myrti ſylveſtris Jaccho
Atque oleo miſtum bibitur, (nec deſit acetum)
Vinaque ſumantur fricto condita cumino:
Sive palumborum capitur fimus acre ferorum
Dulcacidis ſparſum ſuccis tritúmque ſolutum.
Nec non obſcœnus capræ potabitur humor,
Obruit hic morbum labefactáque ſaxa remittit.

Conceptioni et Partui.

IRrita conjugii ſterilis ſi munera languent,
Et ſobolis ſpes eſt multos jam vana per annos,
Fœmineo fiat vitio res, nécne, ſilebo:
Hoc poterit quartus magni monſtrare Lucretî.
Sed natura tamen medicamine victa potenti
Sæpe dedit fœtus ſtudio curante paratos.
Aut igitur leporis conſumit fœmina vúlvam,
Aut ovis in ſtabulis fractas quum ruminat herbas,
Pendentem ſpumam molli deducit ab ore,
Atque illam meminit miſto potare falerno.
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu conjunx feſtinat uterque.
Atque ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,
Ut

Ut facili vigeat servata puerpera partu,
Dictamnum bibit, & cochleæ manduntur edules:
Aut qui olim menses minus octo moratus in alvo,
Irrumpit thalamos & nexus solvit inertes:
Pulegii quoque purgati tunc convenit imber,
Cujus opem veram casus mihi sæpe probarunt.
Quinetiam stercus supponunt vulturis atri,
Sentiat ut minimè partus quam proximus urget:
Ova etiam rutæ & fragili miscentur anetho,
Quæ diluta simul vino atque exhausta medentur.

Profluvio Cujusque Sanguinis Et Matrici Subveniendæ.

SI modicus pleno manat de corpore sanguis,
Subvenit: at nimius cum vita funditur ipsa.
Quapropter multo naris completa cruore
Quum fluit, attritus cimex conducit odore.
Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato:
Hæc datur in nares, vel claudit densius aures.
Contritis prodest cochleis perducere frontem:
Aut galli cerebro vel sanguine tinge columbæ.
Quod nisi supprimitur sanguis, potandus & ipse est.
Præterea Phariis caput emetire papyris.
Dettahe quod superest, aliò genitalia necte.
Fœmineas prodest illinc vincire mamillas,
Menstruus immenso si profluit impete sanguis.
Succida lana malos remoratur subdita cursus,
Mortua quinetiam producit corpora partu.
Sed quacunque fluit vis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis,
Antè minutatim studio vincente terendus.
Pulegii calido purgatur fœmina potu.
Sed si fortè cruor clausa cunctabitur alvo,
Aut molles nepetæ aut rutæ quæcunque bibentur.
Aut si puniceos fundit vesica liquores,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Marrubium ex passo tritum perfunditur undis:
Hi poterunt haustus rutilum purgare colorem.
Reliquias partus dictami detrahit herba.
Quòd si fœminei properabit sanguinis imber,
Est qui frusta molæ percussu decutit uno,
Quorum aliquod lanis tectum ad præcordia nectit,
Hæc simul incantans, sisti debere cruorem,
Ut lapis ille viæ solitos jam destitit orbes.

In Ternecandis Quæ Oculos Impediunt.

Mobilis hirsutas horret lascivia setas,
Et gaudet rapto nudari flore pilorum.
Sed bona nonnunquam vellendi causa videtur,
Corpora quum relevat ratio manifesta salutis.
Namque oculos infesta pilorum tela lacessunt,
Quódque illis dederat vallum natura tuendis,
Inde inimica seges proprios desævit in orbes.
Ergo locum crinis vulsi continge cruore,
Quem dat avis tremulis simulat quæ pellibus alas.
Præterea quascunque voles avertere setas,
Atque in perpetuum rediviva occludere tela,
Corporibus vulsis saniem perducito ranæ:
Sed quæ parva situ est, & rauco garrula questu.
Nec non quæ stagnis cessantibus hæsit hirudo
Sumitur, & vivens Samia torretur in olla:
Hæc acidis jungit permista liquoribus artus,
Avulsámque vetat rursus percrescere sylvam.

Omnibus Obscoenis Medendis.

Dicendum & quæ sit membris medicina pudendis.
Languidus antiquo purgatur penis Jaccho,
Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ.
Mane novo myrti frondes commandere prodest
Cui dolet, atque illas in vulnus despuat ipsum.

Fæce

Fæce etiam vini genitalia laûta levantur,
Et tumidos teſtes Nereia lympha coercet,
Vel bulbi ex mulſo, vel cera immiſta cupreſſo.
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
Ramicis immenſum fertur cohibere tumorem
Far madidum lympha, & feralis fronde cupreſſi:
Unde etiam potu frons hæc memoratur amica.
Sin autem exiſtit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obſcœnos ſi ponè locos nova vulnera carpent,
Horrentum manſa curantur fronde ruborum.
At ſi jam veteri ſuccedit fiſtula morbo,
Muſtellæ cinere immiſſo purgabitur ulcus,
Sanguine ſeu ricini quem bos geſtaverit anté.
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi,
Herbáque cum ſevo foliis de mille vocata.

ISCHIÆ ET ARTICULARI MORBO.

SÆpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit & greſſus diro languore moratur.
Populus alba dabit medicos de cortice potus:
Nec non & teneræ gracili de fronde geniſtæ
Arreptos caules, acidóque liquore madentes
Sumere conveniet, rubiam quoque ducere potu:
Aut in aminæo cochleas haurire Lyæo.
Si vero articulos tabes inimica per omnes
Hæſerit, ex ficu betas ac melle ligabis.
Vel pelagi latices, ſimul & Baccheïa dona
Sumere curabis: nimio ſed parcito vino.
Ennius ipſe pater dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores.

FURUNCULO MEDENDO.

QUum ſanguis nimius puri commiſtus atroci
Æſtuat, & papulas alte ſuſtollit acutas,

Resinam misces & saxis ordea fracta:
Conspersa hæc tepidis apponere convenit undis.
Vis & hyoscyamum ceræ sevóque jugatum
Nectere? non minus hæc poterit medicina juvare.
Prætereáque fimum ex gallo quod legeris albo,
Imbribus ex acidis fidens appone dolenti.
Auribus aut pecudum molles expromito sordes,
Unguine quo fotis dabitur medicina papillis.

Carboni Medendo.

Horrendus magis est, perimit qui corpora, carbo.
Urit hic inclusus, vitalia rumpit acerbus:
Hunc veteres quondam variis pepulêre medelis.
Tertia namque Titi simul & centesima Livi
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exectum, aut poto raporum semine pulsum:
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci: tanta est violentia morbi.
Dulcacidum laticem cum lini semine junge,
Atque fimum pariter Paphiæ compone columbæ:
Hinc line diruptas partes, & clausa venena.
Præterea triti reserant & operta lupini.
Nonnullus calcem vivam dissolvit aceto,
Fumantémque nivem papulis apponit acerbis.
Est qui gallinæ perducat stercore corpus.
Allia vel piperi parcè commista linuntur
Pythagoræ cognata levi condita cumino.
Proderit & madida fermentum polline turgens.

Pani, Vomicæ et Strumæ Depellendis.

Sunt alii quos dura movet natura tumores
Non minus horrendi, sed non ita perniciosi,
Vomica qualis erat, vel eidem proxima quædam.
Simplice resina miscebimus hordea tusa,

Et

Et mulſos amnes & purgamenta columbæ.
His bene decoctis languentia membra foventur.
Mollis odorato faba jungatur coriandro,
Proderit appoſitum, mollítque aperítque tumorem.
Aut de phaſganio radix decocta paluſtri,
Quæ ſalis admiſto tundetur condimento.
Proderit & manſum quod traxeris arbore viſcum.
Gramen hyoſcyami ceræ ſevóque vetuſto
Concilia, miſtiſque locos perduce dolentes.
Exercere etiam corpus medicina potens eſt.
Ovum defundes in fictile, deinde putamen
Marrubii ſucco implebis: pòſt melle liquenti
Omnia conſociata tepenti proſpera potu
Sumuntur, reſerántque malum purgántque levântque.

IGNI SACRO DEMOVENDO.

EST etiam mòrbi ſpecies quæ dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calóre.
Vel tu vicino ſevum bovis igne remittis,
Mollitúmque lines: vel oloris fæcibus, ova
Sed non cocta dabis, ſic torrida membra fovebis.
Lumbricus terræ miſto inducetur aceto,
Aut parili nova ruta modo, (ſed jungis olivum)
Ováque cum betis proſunt ſæpe illita tritis.
Allia dant cinerem ſociato oleóque garóque,
Unguine quo gliſcens deponet flamma furorem.
Sæpe chelidoniæ pars candida jungitur ovi,
Quæ modico potu ſed vili trita capeſſes.
Admiſcere memor lymphas amnemque falerni.

PODAGRÆ DEPELLENDÆ.

QUædam ſunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
Dixit ineſſe Deus: requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem.

Digitized by Google

Ergo age, & arreptum ſalicis frondémque librúmque
Cum vino tere, ſic contractos perline nervos.
At quum prima mali ſeſe oſtentabit origo,
Fervida non timidis tolera cauteria plantis:
Seminecíſve hirci reſerato pectore calces
Inſere: ſic diræ reprimes primordia peſtis.
Aut ſi corruptus perſederit altius humor,
Trita cupreſſus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibûs & teneris: cohibebítque addita queſtus
Parva ſabucus item hircino collita ſevo:
Triticeæque acido manantes amne farinæ:
Aut nitidum ranæ decoctum viſcus olivo,
Sive chelidoniæ ſuccus ſale miſtus aceto.
Sunt quibus appoſita ſiccatur hirundine ſanguis.
Non audita mihi ſit fas, ſed lecta referre,
Hoc quidam raptus morbo per tempora meſſis,
Vicino plantas frumenti preſſit acervo,
Evaſitque gravem caſu medicante dolorem.

VULNÉRIBUS FERRO AUT VERBERIBUS FACTIS.

NAturæ vitiis medicas objecimus artes:
Nunc & fortunæ jaculis obſiſtere par eſt.
Si cui fortè lapis teneros violaverit artus,
Necte adipes vetulos & tritam chamæciſſon,
Nec pudeat luteæ ſtercus perducere porcæ.
Sin autem ſævo laceratum eſt verbere corpus,
Tum lixiva cinis ceras diſſolvit & ova,
Admiſtóque oleo vibices comprimit atras.
Si verò infrenus manat de vulnere ſanguis,
Purpura torretur conchyli perlita fuco,
Hujus & atra cinis currentem detinet undam.
Verrucæ quoque deſectæ frenare cruorem
Dicitur ambuſtus Tyrio de vellere pulvis.
Præterea nimios reſerati vulneris amnes

Peni-

Digitized by Google

Peniculi cinis aſtringit, vel fimbria porri.
Sive fimus manni cum teſtis uritur ovi,
Et reprimit fluidos miro medicamine curſus.

Vulneribus Quibuscunque Casibus Factis.

Tam varia humanæ ſunt vulnera conditionis,
Ut nequeam proprias cunctis adſcribere curas.
Iiſdem igitur monitis caſus ſanabimus omnes.
Sic tamen ut nullus medicinam clauſerit error.
Ergo, modus quicunque obtingit vulneris atri,
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus:
Herbáque quæ foliis nomen de mille recepit,
Appoſitu prodeſt adipi permiſta vetuſto.
Succida cum tepido nectetur lana Lyæo,
Ambuſtæve cinis complebit vulneris ora.
Concludit verò vel frons vel ramus ab ulmo.
At ſuccis hederæ pulchreſcit fœda cicatrix.

Hominis Ac Simiæ Morsui.

Sive homo ſeu ſimilis turpiſſima beſtia nobis
Vulnera dente dedit, virus ſimul intulit atrum,
Betonicam ex duro prodeſt aſſumere Baccho.
Nec non & raphani cortex decocta medetur,
Si trita admorſis fuerit circumlita membris.

Serpentium Morsibus Et Venenis Excludendis.

Cuſpide non quiſquam longæ neque cæde cariſſæ,
Fulmine non gladii, volucris nec felle ſagittæ,
Quàm citò vipereo potis eſt affligier ictu.
Quare aptam dicamus opem, ſuccóſque medentes.
Quem nocuit ſerpens, fertur caput illius aptè
Vulneribus jungi: ſanat quem ſauciat ipſa:
Utque Lariſſæa curatus Telephus haſta.
Proderit & caulem cum vino haurire ſabuci,

Aut

Digitized by Google

Aut coctum raphani librum tritumque ligare,
Sive etiam excelsa folium de mole cupressi:
Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit.
Carduus est nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Cervino ex fœtu commista coagula vino
Sumuntur, quæ res membris agit atra venena.
Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi:
Betonicæve leves, gallinæ aut jura vetustæ.
Si verò horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Urinam credunt propriam conducere potu.
Varronis fuit ista senis sententia: nec non
(Plinius ut memorat) sumpti juvat imber aceti.
Dicendum & quæ sit præcox medicina timenti:
(Cautio nanque potest diros prævertertere morsus)
Si jecur exectum tardo de vulture portes.
Erucis aut si totos perduxeris artus,
Quas prius attritas vehementi spargis aceto.
Aut tu cervina per noctem in pelle quiesces,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.
Toxica præterea qua sint pellenda medela,
Expediam. Sanguis poterit prodesse caninus,
Qui facili potu antidotos imitatur honestas.
Vis & mirificos cautus prædiscere odores,
Accensis quibus arcetur teterrima serpens?
Aut styracem torres aut diri vulturis alam,
Vel nepetam aut frondem rigidæ stirpémque myricæ.

Ictibus Scorpii, Et Morsibus Muris Cæci Vel Aranei.

Sunt minimæ species, sed diræ vulnere pestes,
Quæ magis in tenui latitantes corpore fallant:
Scorpius ut gravis est & araneus: hæc mala semper
Captant securos multa jam nocte sopores,
Et documenta dedit nobis prostratus Orion,

Ma-

Magna quòd exiguis perimantur sæpe venenis.
At qui vulnus atrox incussit scorpius ardens,
Continuò capitur, tunc digna cæde retusus,
Vulneribúsque aptus, fertur revocare venenum.
Aut calidis pelagi lymphis loca læsa foventur:
Sive meri potu dissolvitur improba pestis.
Ad cunctos autem morsus ictusque minorum
Caseus aptus erit simæ de lacte capellæ,
Cúmque hoc absumi debebit origanus herba:
Hæc duo mirificis curabunt icta medelis.
Nec non fœniculo calidum annectatur anethum,
Aut vivum sulphur sicca cum fæce Lyæi.
Exiguo piperis cerebrum conspergito galli.
Quo lita sanescunt depulso membra dolore.
Sin autem muris nocuit violentia cæci,
Quæ sola signavit volvendis orbita plaustris,
Illine: mira datur vili de pulvere cura.

Subitaneo Dolori, Febri, Atque Ostocopo.

NOnnunquam existit subiti nova causa doloris,
Cujus origo latet, veris reprimenda medelis.
Nanque chelidoniam misto sale nectere prodest,
Velleráque infuso recalentia sulphure sanant.
Ostocopon lento conducit melle perungi.
Sin autem calidæ depascent corpora febres,
Tunc apii succus leni sociatur olivo.
Membra lines, fotúque ferus mulcebitur ignis.
Nec spernendus adeps, dederit quem bestia melis.
Seminecis cervi lacrymam miscere liquori
Convenit, atque artus illinc mulcere calentes:
Sic lacerat morbum bilémque revolvit in alvum.
Præterea chymum stomacho desiccat iniquum,
Quæ magis atque magis promittunt corpora claudi.
Febribus at longis galli nova jura vetusti

Sub-

Digitized by Google

Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

Quartanæ Typo Medicando.

Nec tu crede levem dilato tempore febrem,
Quæ ſpatium ſibi dat, magis ut ceſſando caleſcat,
Lethali quæ graſſatur quartana calore,
Ni medicas adhibere manus curemus & herbas.
Allia non pudeat terno cum cimice trita
Et diluta mero mediis haurire diebus,
Aut facilem jecoris murini ducere fibram,
Quatuor ut duri jungantur ſcrupula Bacchi.
Mira eſt abſinthi cum ſimplice potio lympha.
Sume tribus digitis apprenſum ſemen anethi,
Tantundem marathri, mulſum nec deſit aceti,
In cujus cyatho prædicta ſalubriter hauris.
Mæoniæ Iliados quartum ſuppone timenti,
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodeſt & potus, ſed mulſus, Doridis humor.
Quidam etiam miranda ferunt veniente calore,
Jurantes ludum Veneris munúſque petendum.
Sed prius eſt oleo partus ferveſcere ranæ
In triviis, illóque artus perducere ſucco.

Tertianæ Typo Medicando.

Eſt etiam alternis febris rediviva diebus,
Tempora diſcernens quaſi juſtæ pondera libræ.
Ut poſſis igitur talem prohibere furorem,
Involves cera pallentis grana cumini,
Puniceæque indes pelli collóque ligabis.
Pulegii ramus lanæ velatus amictu
Tempore ſuſpecto medicos præbebit odores.
Præterea tritus cimex potatur in ovo,
Horridus attractu, ſed guſtu commodus apto.

QUOTIDIANÆ TYPO MEDICANDO.

AT qui continuis non cessat adire diebus,
Sed tantùm certas morbus discriminat horas,
Triticeum metuit granum (si credere dignum est)
Quod latitans fracto fuerit sub pane repertum.
Nec non ossa juvant septis inventa domorum:
Convenit hæc tereti pendentia subdere collo.
Multáque præterea verborum monstra silebo:
Nam febrem vario depelli carmine posse
Vana superstitio credit tremulæque parentes.

HEMITRITÆO DEPELLENDO.

MOrtiferum magis est quod Græcis ἡμιτριταῖον
Vulgatur verbis: hoc nostra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inscribis chartæ quod dicitur Abracadabra:
Sæpius & subter repetis, sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris:
Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.
Coralium atque crocum corio connectio felis.
Coralium verò si collo nectere velles,
Ne dubites illi virides miscere smaragdos:
Talia languenti conducent vincula collo,
Lethalésque abigent (miranda potentia) morbos.

FRACTURIS, ET LUXIS SANANDIS.

INfandum dictu cunctis procul absit amicis,
Sed fortuna potens omen convertat in hostes.
Vis indigna novo si sparserit ossa fragore,
Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,
Lintea deinde supérque inductas nectere lanas:

Sæ-

Sæpius & ſuccos conſpergere pinguis olivi:
Bis ſeptem credunt coaleſcere cuncta diebus.
Aut veteri Baccho capræ fimus inde petulcæ,
Hoc aperit clauſum, trahit hærens, ſanat apertum.
Si verò caput infeſtus colliſerit ictus,
Ex oleo necti veſtis debebit arachnes:
Neſciet hæc illinc (niſi quum ſanarit) abire.
Quòd ſi luxa ſuo decedant membra tenore,
Vrere fœmineos crines ac jungere ſevum
Congruet, ac tali medicamine mota ligare.
Aut malum ex pingui tritum appoſuiſſe juvabit.
Aut ſi concluſum ſervavit tibia vulnus,
Stercus ovis placidæ junges adipéſque vetuſtos,
Pandere quæ poterunt ulcus patulóque mederi.

Nervis Incisis Et Dolentibus, Atque Contractis.

HAud quiſquam credet disjectos vúlnere nervos
Ad ſolitum rurſus revocari poſſe vigorem:
Sed prodeſt terræ lumbricos indere tritos,
Queis vetus & rancens ſociari axungia debet.
Si verò occultus nervos dolor urit inertes,
Vulturis exciſos adipes rutámque remitte,
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu,
Convenit & pelagi calidis perfundier undis:
Carica vel betis lento cum melle jugatur:
Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupreſſi,
Quo poteris potu recreare rigentia membra.
Sin autem ſubito replicantur corpora morbo,
Contractos revocat nervos caro ſumpta columbæ.

Ægris Somno Adsciscendo.

NOn ſolùm miſeros teterrima febris adurit,
Sed ſuper optato pergit viduare ſopore,
Ne proſint placidi cæleſtia munera ſomni.

Charta

Digitized by Google

Charta igitur, variis quam pinxit littera verbis,
Uritur, inde cinis calido potatur in amni.
Proderit & magnum capiti ſubſternere fulcrum,
Prodeſt & miſtam lymphis potare cupreſſum:
Palladiis itidem ſuccis, quos flore roſarum
Iungis, & immiſces madidum tritúmque papauer,
Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem.
Nec non mandragoræ guſtu ſopor additur altus.
Dilue præterea glomeramina quæ gerit intus
Clauſa aries inter geminæ coxendicis umbras,
Inde ſoporati ducentur gutture potus.

Lethargiæ Expellendæ.

Diximus hanc ſortem miſeris mortalibus eſſe,
Ut ſint ſæpe mala inter ſe contraria morbi.
Denique nonnunquam ſomno ſic membra grauantur,
Ut coniungatur letho ſopor altus acerbo.
Ergo levi flamma torreutur cornua capræ,
Quo nidore gravem depellent lumina ſomnum.
Aut Veneris labrum quæ dicitur herba, bibetur:
Quæ teritur prius & vino confuſa liqueſcit.
Conveniunt acidis euphorbia miſta fluentis,
Gramina vel rutæ gemina ſi nare trahantur.
Quidam dira iubent, ſepteno cimice trito
Ut vitientur aquæ, cyathúſque bibatur earum:
Hæc potiora putant quàm dulci morte perire.

Comitiali Morbo.

Est ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quòd fieri nobis ſuffragia iuſta recuſant.
Sæpe etenim membris atro languore caducis,
Conſilium populi labes horrenda diremit.
Ipſe deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem ſæpe ruina profudit.
Prodeſt cum veteri Baccho fel vulturis ampli:

Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno.
Aut cruor ex Progne mistus cum polline thuris:
Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni:
Marrubiúmve pari confusum pondere mellis,
Cui tu terna dabis gustu cochlearia in uno.
Aptus mustellæ cinis est & hirundinis unà.
Præterea pluuias hominis quas calva supina
Excepit proiecta sinu, consumere prodest.
Aut lapis ex nido vaga quem congessit hirundo,
Vellitur, & nexu fouet attollitque jacentem.
Pellitur (ut fama est) gustú quoque languor anethi.

Regio Morbo Pellendo.

Regius est vero signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.
Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.
Allia trita dabis vino madefacta calenti.
Vellera cum vivo suffiri sulphure prodest.

Infantibus Dentientibus, vel strige Inquietatis.

Nudum hominem primum mater natura profudit:
Insuper excruciat, niveis quum dentibus armat.
Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci,
Aut teneris cerebrum gingiuis illine porci:
Aut leporis niueum bibitur cum lacte caprino.
Pæterea si fortè premit strix atra puellos
Virosa immulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Titini sententia necti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

Combusturis Igne vel Frigore.

Sunt diuisa quidem mala frigoris atque caloris:
Sed tamen amborum simili nocet ulcere virus.

Illa

Digitized by Google

Illa quoque usta putes quæ sunt nive læsa rigente.
Conuersa in cinerem platani pila curat utrunque.
At verò ambustum flammis, qui candidus ovi
Succus inest, penna inductus sanare valebit.
Aut tu succosæ cinerem perducito lanæ,
Aut vivam ex oleo veteri componito calcem,
Ordea vel franges atque oui candida iunges.
Adsit adeps porcæ (mira est hæc forma medelæ)
Iunge chelidoniis, ac sic sine vulnera succis.
Quódque recens ussit glacies, axungia simplex
Mulcet, & ex facili grata est medicamine cura.

Venenis Prohibendis.

UT tutus fias infestæ fraude novercæ,
Vel quicunque tuo carpetur lividus auctu,
Non expectatis eat obvia cura venenis.
Ante cibos igitur juglandis fœtus edatur.
Produnt electri variantia pocula virus.
Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ
Conveniunt potu, demersave ficus oliuo.
Sæpe etiam raphanum prædixit numen edendum.
Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Quum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit,
Bis denum rutæ folium salis & breve granum,
Iuglandésque duas, totidem cum corpore ficus:
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Venenis Datis.

SI nequit infandum prævertere cautio virus,
Proximus ille gradus data pocula pellere cura.
Lac asinæ placidæque bovis prodesse loquuntur.
Betonicam ex parvo sumunt plerique Lyæo.

Quòd si hederæ ſuccos, quæ truncos implicat altos,
Inſtilles pateris, poterunt haud ulla nocere
Pocula, quæ quiſquam ſævis vitiaverit herbis.
Siquis hyoſcyamum guſtarit lacte capellæ
Exhauſto, rabidos poterit mulcere furores.

VULNERIBUS EX RE DUBIA CURANDIS.

VUlnera tabeſcunt ſpatio vitiata dierum,
Curáque nil prodeſt nec ducitur ulla cicatrix,
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Ulceris annoſi ſinus ut coaleſcere poſſit,
Marrubium ſi tu recoquas illóque liquore
Vulnus atrox foueas, cineres vel hirundinis altæ
Inducas, leporíſve aſperſa coagula vino:
Aut hederam Baccho decoctam, & ſemen anethi,
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.
Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus,
Aut facilis lapathi coma latior ulcera purgat,
Et commiſtus adeps ſed nonnullo ſale tactus,
Pinea præterea vivo cnm ſulphure cortex,
Et pice cum ſpiſſa, iam perdita membra reponit.

VERRUCIS TOLLENDIS.

IN terdum exiſtit turpi verruca papilla.
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæſit,
Qui ſolus patriæ cunctando reſtituit rem.
Id poterit vitium ſanguis curare lacertæ,
Aut urina canis cum terra inducta madenti.
Aut herbæ ſuccus quæ fertur nomine lathyr;
Et tithymallus item tali ſatis apta medelæ.
Si rupta immenſos fundit verruca cruores,
Purpureo triti cineres de vellere proſunt
Quod fuerit vero conchyli ſanguine tinctum.

by Google

Hæmorrhoidibus Medendis.

Excruciant turpes anum si fortè papillæ,
Agrestis prodest radix superaddita porri.
Ni violet, sanat juglandis fragmine clausa.
Sal niveum sumes, Beticum quod nomine dicunt;
Dulcia cúmque nigra iunges fuligine mella,
Apponésque super: pellit medicina dolorem.

Quæ sequuntur, ex Aldino codice sumpta, indigna sunt Sereno & pro spuriis habenda.

PARALYSI DEPELLENDÆ.

Primo Die Ita Agendum.

Hunc quicunque cupis citius depellere morbum,
Protinus antidotum studio tu perfice mirum;
Scilicet ut valeas languenti ferre medelam.
Castoreas siliquas bis sex perquirere cura,
Tristis item digitis lympham metire duobus:
Denique tunc capies phialam quæ justior extat,
Aut equidem flammas: sed prunas subiice solers:
Proderit interea tepidum petentibus illud:
Ieiuniis sed enim potius præbere memento.

Secunda Ita Medendum Est.

Quúmque secunda dies orbi pervenerit omni,
Haud aliis rebus prudens adiungere cures.
Castoris atque nomen siliquas appendito statim,
Atque duos semis digitos metire memento
In calice atque probo lympham miscere duobus:
Qui patitur tepidum languens hinc sorbeat ipse.

Tertia Die Ita Curandum Est.

GRatior atque dies ternus quum venerit imo,
Rursus in ægroto constanter fer medicamen,
Castoreas siliquas iterum quæ pondere sint sex:
Hinc etenim binos digitos metire memento
De lympha liquida: sed enim subiungere cura
Et simili debes tepidum præbere modo tunc.

Ita peragendum està quarta die usque ad sextam, & à septima usque ad nonam, à decima usque ad duodecimam, & mirificè prodest.

Quid Quarta Die Et Reliquis Peragendum Sit.

QUartus & ille dies consentit: necne priori
Quintus,& est similis percellens nanque secundo,
Sextus: itémque simul concordat denique terno:
Septimus usque nonum percurritur ordine primo:
Sic decimas currens conscenditur ad duodenum.

Q. RHE-

Digitized by Google

Q. RHEMNII FANNII PALÆMONIS DE PONDERIBUS ET MENSURIS LIBER.

Pondera Pæoniis veterum memorata libellis
Noſſe juvat: pondus rebus natura locavit
Corporeis: elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet: vacuus quoque ponderis æther
Indefeſſa rapit volventis ſidera mundi.
Ordiar à minimis, poſt hæc majora ſequentur.
Nam majus nihil eſt aliud quàm multa minuta.
Semoboli duplum eſt obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, ſcrupulum noſtri dixere priores.
Semina ſex alii ſiliquis latitantia curvis,
Attribuunt ſcrupulo, lentes veraciter octo,
Aut totidem ſpeltas numerant, triſtéſve lupinos
Bis duo: ſed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Seruarent eadem diverſæ pondera gentes:
Nunc variant. Etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, ſed lege valent hominúmque repertis.
In ſcrupulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.
Holcéque à drachma non re ſed nomine differt.
Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier audis,
Siciliquus: drachmæ ſcrupuli ſi adjectio fiet,

Sextula quæ fertur: nam ſex his uncia conſtat.
Sextula quum dupla eſt, veteres dixere duellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum
Grammata dicta, quòd hæc vigintiquattuor in ſe
Uncia habet: tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctémque diémque.
Unciáque in libra pars eſt quæ menſis in anno.
Hæc major Latio libra eſt gentique togatæ:
Attica nam minor eſt, ter quinq; hanc deniq; drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam.
Accipe præterea, parvo quam nomine Graii
Mnam vocitant, noſtrique minam dixêre priores:
Centum hæ ſunt drachmæ. quòd ſi deſcripſeris illis
Quatuor: effiicies hanc noſtram denique libram:
Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, Mna.
Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum,
Sexaginta minas ſeu vis, ſex millia drachmas,
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis:
Nam nihil his obolóve minus, majúſve talento.
Nunc dicam, ſolidæ quæ ſit diviſio libræ,
Sive aſſis: nam ſic legum dixêre periti:
Ex quo quod ſoli capimus perhibemur habere,
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus:
Uncia nam libræ ſi deeſt, dixêre deuncem:
At ſi ſextantem retrahas, erit ille decuncis:
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit: neque enim eſt hujus ſeſcuncia triplex.
Dodrantem reliquum vocitant quadrante retracto:
Quumque triens deſit, beſſem dixêre priores.
Iidem ſeptuncem dempto quincunce vocarunt.
Poſt hæc ſemiſſis ſolidi pars maxima fertur.
Nam quæ dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Ut docuit tenui ſcribens in pulvere Muſa.
Cætera dicta prius quibus eſt ſemuncia major.

DE

De Ponderibus Et Mensuris Humidorum Et Frugum.

ET de ponderibus superest pars altera nobis,
Humida metiri seu frugum semina mavis,
Cujus principio nobis pandetur origo.
Pes longo spatio latóque notetur in anglo.
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex:
Quatuor ex quadris medium cingatur inane.
Amphora fit cubus, quem ne violare liceret,
Sacrauêre Ioui Tarpejo in monte Quirites.
Hujus dimidium fert urna. ut & ipsa medimni
Amphora, térque capit modium: sextarius istum
Sex decies haurit, quot solvitur in digitos pes.
At cotylas, quas, si placeat,* dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus,
Qui quater assumptus fit Grajo nomine chœnix.
Adde duos, chus fit vulgo qui est congius idem,
A quo sextari nomen fecisse priores
Crediderim, quòd eos capiat sex congius unus.
At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur.
Bis quinq; hunc faciunt drachmæ, si appendere tentes:
Oxybaphus fiet si quinque addantur ad illas.
At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri,
Quam vocitant cyanem, capit hæc cochlearia bina.
Quòd si mensuræ pondus componere fas est,
Sextari cyathus pars est quæ est uncia libræ:
Necnon oxybaphi similis sescunçia fiet.
Siciliquúmque tibi mystro simulare licebit.
Cochlear extremũ est, scrupulique imitabitur instar.
Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, nostræ si adieceris urnam.
Est & bis decies quem conficit amphora nostris
Culleus: hac nulla est major mensura liquoris.

Est etiam terris quas aduena Nilus inundat,
Artaba, cui superat modii pars tertia post tres:
Nanque etiam modiis explebitur artaba triplex.

De Ponderibus Variorum Liquorum, Et Aquarum

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores.
Nam libræ (ut memorant) bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ labentis olivi,
Selibrámque ferunt mellis superesse bilibri.
Hæc tamen assensu facili sunt credita nobis:
Nanque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices aut fonte perenni
Manantes par pondus habent: non denique vina,
Quæ campi aut colles nupérve aut antè tulere:
Quod tibi mechanica promptum est depromere musa.
Ducitur argenti, tenuive ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
Cui cono interius modico pars ima gravatur,
Ne totus sedeat, totúsve supernatet undis.
Lineáque à summa tenuis descendit ad ima,
Ducta superficie: tot quæque in frusta sequatur,
Quot scrupulus gravis est argenti ærisve cylindrus:
Hoc cujusque potest pondus spectare liquoris.
Nam si tenuis erit, majori mergitur unda:
Sin gravior, plures modulos superesse notabis.
Aut si tantumdem laticis sumatur utrinque,
Pondere præstabit gravior: si pondera secum
Conueniunt, tunc major erit quæ tenuior unda est.
Quòd si ter septem numeros texisse cylindri
Hos videas latices, illos cepisse ter octo,
His drachma gravius fatearis pondus inesse.
Sed refert æqui tantum conferre liquoris

(Ut

(Ut gravior superet drachma) quantum expulit undæ
Illius aut hujus teretis pars mersa cylindri.
Hæc de mensuris, quarum si signa requires,
Ex ipsis veterum poteris cognoscere chartis.

De Inventione Argenti Auro In Una Massa Permisti.

NUnc aliud partum ingenio trademus eodem.
Argentum fuluo si quis permisceat auro,
Quantum id sit, quove id possis deprendere pacto,
Prima Syracusii mens prodidit alta magistri.
Regem nanque ferunt Siculam, quam voverat olim
Cælicolûm regi, ex auro statuisse coronam:
Compertóque dehinc furto (nam parte retenti
Tantundémque argenti opifex immiscuit auro)
Orasse ingenium ciuis, qui mente sagaci
Quis modus argenti fulvo latitaret in auro
Repperit, illæsum quod diis erat antè dicatum:
Quod te quale siet paucis (adverte) docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc appendere mos est,
Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet: hásque
Submittes in aquam, quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat pars hæc quæ sustinet aurum.
Densius hoc nánque est, similari & crassius unda.
At tu siste jugum, mediique è cardine centri
Intervalla nota, quantum discerpserit illinc.
Quótque notis distet suspenso pondere filum,
Fac drachmis distare tribus. Cognovimus ergo
Argenti atque auri discrimina. Denique libram
Libra tribus drachmis superat, quum mergitur unda.
Sume dehinc aurum cui pars argentea mista est,
Argentique meri par pondus, itémque sub unda
Lancibus impositum specta: propensior auri
Materies subsistet enim furtumque docebit.

Nam

Nam ſi ter ſenis ſuperabitur altera drachmis,
Sex ſolas libras auri dicemus ineſſe,
Argenti reliquum: quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.
Hæc eadem puro deprendere poſſumus auro,
Si par corrupto pondus pars altera geſtet.
Nam quoties ternis pars illibata gravarit
Corruptam drachmis ſub aquam, totidem eſſe notabis
Argenti libras, quas fraus permiſcuit auro.
Pars etiam libræ quævis ſi fortè ſuperſit,
Hæc quoque drachmarum ſimili tibi parte notetur.
Necnon & ſine aquis * *

RELIQUA DESIDERANTUR.

Ro-

Digitized by Google

Roberti Keuchenii
ad
Q. Serenum
Samonicum
Notæ
et
Emendationes.

Digitized by Google

ROBERTI KEUCHENII AD Q. SERENUM SAMONICUM PROLEGOMENA.

ANtiquissimi scriptorum, cum artium ac disciplinarum omnium originem & genera ab Ægyptiis inventa faterentur, Græciam non tam earum parentem, quàm susceptricem & alumnam agnovêre: quod accepta à majoribus earum gentium scientia & inventis, cunctas ferè disciplinas ut rudimenta perfecerit, & per ætates varias ac progressus excultas emendaverit. Nam cum eorum Græcorum testimoniis primos hominum Ægyptios fuisse constet, qui sese vetustatis titulo cæteris cunctis, & cœli clementiâ & soli benignitate præferri volebant; eosque omnium primos & astrorum cursus annotâsse, & quæ ad victúm utilia essent, vario artium cultú & inventione prodidisse, in confesso sit: haud iniquo jure censendum; non medicinam solum ab his, sed & astronomiam & arithmeticen & musicen, agro-

agrorumque colendorum ſcientiam eſſe inventas. Verùm cum hæc ipſa ſatis ex inventoribus & origine medicinæ ſint obſcura, Græcorumque præclara in omnes literas merita non ignorentur; non tam ab Ægyptiis quàm Græcis ejus initia inquirenda judicamus: quippe qui gradatim & quaſi ex alto rem totam eruerunt, & à ſuperioribus acceptam feliciſſimo ſtudio conſummarúnt. Unde & Diis primum inventoribus eam aſſignarunt, & Apollini Deo habito, Jovis atque Latonæ filio ejus inventionem attribuerunt, quem ob id ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΝ Athenienſes appellarunt & ΟΥΛΙΟΝ, à ſedandis & depellendis morbis, quorum cum miro opificio & præſenti numine vires amoviſſet, immortalitatem reportavit. Eam porrò id temporis rudem & impolitam paullò altius excoluit Æſculapius ejus filius, multa patris inventis adjiciens; atque ob id in deorum numerum receptus. Quâ quidem in arte tam feliciter excelluiſſe dicitur, ut ne dum morbis ſæviſſimis ægros allevare; ſed & ad vitam revocare mortuos exiſtimatus fuerit: Unde & Hippolitum & Androgæum Minois filium ab Athenienſibus interemptum, ad vitam revocaſſe; Græci ſcriptores prodiderunt. Ab ejus deinde filiis Podalirio & Machaone, bello Trojano ducem Agamemnonem ſecutis, prorogatam medendi ſcientiam tradidêre: quos tamen Homerus non in peſtilentia neque in variis generibus morborum aliquid

aliquid attulisse auxilii; sed vulneribus tantummodò, ferro & medicamentis mederi solitos esse proposuit. Sequentis medicinæ progressus in densissimâ nocte latuêrunt usque ad Peloponnesiacum bellum: Tum eam revocavit Hippocrates, vir & arte & facundiâ insignis, genitus in insula Coo imprimis clarâ ac valida, & Æsculapio dicata. Qui jam desitam & dissolutam apud Græcos medicinam, in artem brevissimis quibusdam, sed argutis præceptionibus reconcinnavit: de quo Soranus in Præfatione Isagogici sui libri: *medicinam quidem invenit Apollo, amplificavit Æsculapius, perfecit Hippocrates.* Autor Adylus ejus tumulum à Græcis honorificentissimis hisce versibus inscriptum commemoravit:

Θεσσαλὸς Ἱπποκράτης Κῷος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
 Φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς
Πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης,
 Δόξαν ἑλὼν πολλὴν, οὐ τύχῃ, ἀλλὰ τέχνῃ.

Post eum Diocles Carystius, deinde Praxagoras & Chrysippus, tum Herophilus & Erasistratus Aristotelis filia genitus, ita hanc artem exercuerunt, ut etiam in diversas curandi vias processerint. Alia deinde factio ab experimentis sese cognominans, empiricen cœpit in Sicilia, Acrone Agrigentino Empedoclis Physici autoritate commendato; cujus princeps Serapion, nihil rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu & experimentis eam posuit.

Digitized by Google

Quem Apollodorus & Glaucias, & aliquanto poſt Heraclides Tarentinus, & aliqui non mediocres viri ſecuti, ab ipſâ profeſſione ſeſe ἐμπειρικοὺς appellaverunt. Erant ejus ἐμπειρικῆς tria potiſſimum genera, quorúm primum περιπτωτικὸν, ſecundum αὐτοσχέδιον, & tertium μιμητικὸν appellabatur. Prioris ſectæ annumerabantur, qui in alicujus rei experientiam forte fortuna, non operâ præmeditatâ incidiſſent. Qui verò tale quid præmeditantes experiebantur, eos ad ſecundum ſectariorum genus retulêre. Tertium empiricorum genus erat, eorum, qui, quæ nocebant vel conducebant, ſive naturâ ſive fortunâ, ſive aliquo conſilio, in morbis iiſdem experiebantur; alios eadem conſilia expertos, imitantes. Omne autem cauſarum genus, vel naturale vocabant, vel fortuitum; prout caſú, vel evidente cauſâ contingeret. Tribus etiam theorematis utebantur, τηρήσει, ἱστορίᾳ, καὶ τῇ τοῦ ὁμοίου μεταβάσει. Quicquid aliquando obſervaſſent, id omne τήρησιν vocabant, cujus cum ampla plerumque ſeges eſſet, eam omnem ἄθροισμα nuncupabant; atque id rurſus αὐτοψίαν, quam cum ex frequentiſſimo viſú memoriæ mandaſſent, ἱστορίαν. Quod ſi in morbos nondum viſos inciderent, aut eo loci eſſent, ubi inventorum auxiliorum facultas non ſuppeteret, tranſibant ad μετάβασιν τοῦ ὁμοίου, quam πεῖραν τριβικήν cognominabant; eamque triplicem; de affectú in affectum, de loco ad locum,

locum, de remedio ad remedium. Deſerta deinde hæc ſecta eſt, quoniam neceſſe erat, in eâ literas ſcire, quas plerique ignorabant. Nec diu poſt Aſclepiades medendi ſcientiam ex magna parte mutavit. Auditor ejus Themiſon fuit, qui quæ inter initia ſcripſerat, illo mox recedente à vita, ad ſua placita deflexit. Alii deinde, quos alia medicina gravi periculo exemerat, aliam medendi viam ingreſſi ſunt. Sexcentis circiter ab Hippocrate annis ſubſecutus Galenus Pergamenus, quem hominis dæmonium ſuo ſanè merito appellare poſſumus; ita hanc artem excoluit ac propagavit, totamque abſolvit, præclaris in eam editis monumentis; ut quæ Hippocrates durius jecerat medicinæ ſemina, hic quaſi in optimum fundum lætumque ſolum demiſſa, plenis doctrinæ ſuæ fluminibus, puriſque fontibus irrigârit: Ut qui abſolutam illam medicinæ ſpeciem (quam vix inveniri poſſe Hippocrates in epiſtolâ ad Democritum affirmavit, & in nullo ſe unquam vidiſſe confeſſus eſt) hìc unus expreſſerit. Scio tamen à dogmaticorum opinione alienum hunc à quibuſdam traduci, qui ex inepto ſenſu & fragmentis aliunde decerptis totum Auctoris propoſitum calumniantur. Quibus appoſitè regeri poſſunt ea verba, quæ alibi convincendis erroribus edicit Eulogius Patriarcha Alexandrinus: μὴ δεῖν ἐκ μέρους τὰ συγγράμματα κρίνειν, μηδὲ, ἀποσπάσματά τινα λαμβάνοντας διὰ τούτων τὴν ὅλην

ȣ̃ γράφοντος ἐνδιαβάλλειν διάνοιαν. Hunc poſtmodum reliqua omnis Græcorum turba ſecuta, variis ſcriptis eandem artem locupletavit. Ab hoc fonte Paulus Ægineta, Aëtius, Alexander Trallianus, Soranus, Oribaſius, Actuarius, ceterique omnes dimanarunt, qui naturalem & ſuperſtitioſam paſſim medicinam confuderunt. Cum enim mirabilem virtutem contemplarentur & attribuerent herbis, lapidibus, metallis, animantibus, hominibus, ſtellis & planetis, ceteriſque aliis, quæ nec ad manifeſtas qualitates, nec ad totam earum ſubſtantiam accederent; paſſim ſuperſtitionem cum naturalibus remediis, & magiam cum medicinâ miſcuerunt. Non enim vanam & prodigioſam cauſſam à naturali diſcernebant. Nam cum multa ſint in naturæ majeſtate abdita & occulta, & tamen vera, quæ ex veris naturæ principiis dimanant, & admirandos effectus proferunt; eorum illi illecebris allecti, vel naturâ vel cauſâ ſupernaturali medebantur. Hanc omnibus quidem incognitam naturalem cauſſam, ſed efficientibus notiſſimam; magiam naturalem vocaverunt. Ea, ut Pſellus libro de Dæmonibus & Proclus de magia advertêre, nihil aliud eſt, quàm exactior quædam arcanorum natúræ cognitio, quâ cœlorum ac ſiderum curſú ac influxú, & ſympathiis atque antipathiis rerum ſingularum obſervatis, ſuo tempore, loco & modo, res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc pacto efficiun-

Digitized by Google

efficiuntur; quæ caussarum ignaris præstigiosa vel miraculosa videntur: Veluti cum Tobias paternam cœcitatem felle piscis discussit; quam vim callionymo pisci cum Galeno & Æliano Plinius attribuit libro XXXII. cap. VII. hist. nat. *Callionymi fel cicatrices sanat, & carnes oculorum supervacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, ut existimavit Menander quoque in comœdiis. Idem piscis & uranoscopos vocatur, ab oculo, quem in capite habet.* Sic galgalum seu hianticillam aviculam, si oculos in ictericum defigeret, sibi morbum, ægro sanitatem adferre notarunt. Quod si verum est, de quo meritò quidam dubitaverunt, retulerim ad occultam aliquam similitudinem & sympathiam morbi & aviculæ; non ad ejus visionem, quæ tantum occasio est alterationis & rem perficit. Marcellus & Serenus Samonicus, catellum præcordiis ægris adjungendum præscribunt, & vitium ægri in catellum transire: usque adeò, ut moriatur catulus, hominemque morbo latente relevet. Quæ congenita quædam inter ægrum & canem, & naturalis consortii proprietas est; cujus operâ citra contactum etiam mathematicum quædam mutuo alterantur. Eam, sympathiam vocarunt, vel naturæ convenientiam & continuationem, quæ à crasi seu temperie pendet, nec desinit, donec destruatur mixtum. Et licet in animalibus sint concordiæ tales & compassiones; non tamen in illis sunt, quà animalia;

ſed quâ naturam habent. Poteſt è plantis appenſis, geſtatis, contrectatis educi tenuiſſima quædam aura; quæ in cor & cerebrum exſpirans, cordis & cerebri morbos profligare eſt potens. Ab animalibus etiam tenuis quidam ſpiritus, per os, nares, & cœca ſpiracula, aëris inſtar, interiora corporis permeans; morbos pellere & ſanare valet. Tantum habent αἱ ἀποῤῥοίαι energiæ, ut ignis inſtar, proxima quæque depaſcant & diſpergant. Aliâ ratione antipathiæ naturales eveniunt, ut occultarum qualitatum diffuſione. Sic hyenæ umbrâ canes obmuteſcere, phyſici tradunt: item ſerpentem quernis contactam frondibus emori, eandemque ibidis pennâ ſiſti; viperam arundinis, vel faginæ virgulæ percuſſione obſtúpeſcere; veſpertiliones foliis platani ab hominibus abigi; lepore marino viſo vel contacto necari nonnullos, & ſexcenta ejuſmodi apud Plinium & alios obſervata. Quarum rerum inſpectâ naturali cauſâ, primò earum ſubſtantiâ & viribus phyſicis medebantur: deinde, declinante jam ſcientiâ & invaleſcente malo, cum virtutem earum naturalem non agnoſcerent; verbis potius dæmoniacis & prodigioſis fidem medicam, quàm ipſi medicamento vel cauſæ rationali adhibuerunt. Unde ſuperſtitioſa ejuſmodi ſcripta, ſigna, characteres, annuli, amuleta, περίαπτα, περιάμματα, ἀποτρόπαια, ἐξαρτήματα & ligaturæ nata ſunt; quorum omnium pleni medicorum libri, qui poſt Hippocra-

cra-

cratem & Galenum inter principes numerantur. Nec enim ejuſmodi vim ullam obtinent naturalem ratione verborum, characterum, figuræ, vel conſtellationis; ut illi prodigioſè credebant; ſed duntaxat ratione materiæ: ſi qua tanta ſympathiæ vel antipathiæ vis naturalis inſit. Et falſi ſunt in eâdem opinione Platonici & Pythagorici, qui verbis agendi vim aliquam ineſſe crediderunt; & phyſiologiæ minus addicti, facile pro naturalibus ſuperſtitioſa multa receperunt. Quorum errorem, ut pleraque vana, ſecutus fuit Origenes libro primo & quinto contra Celſum; eundemque Serenus noſter, & Aëtius, & Plinius, & Marcellus, & paſſim Trallianus approbarunt. Habet & idem adſtipulatores ſuos Arabes cum Cabbaliſtis & recentioribus Júdæis. Sed eorum omnium diverſæ ferè ſententiæ ſunt, pro opinione captantium. Plerique cum Plinio ſolis adhærent experimentis, & quæ fieri vident, leviter nimis illis ipſis, quæ cernunt adhiberi, mediis adſcribunt; de iis, quæ non vident, nihil cogitantes. Aliter alii, ſed impio fundamento vana deliria ſua exponunt, ne trivillitio quidem empſitanda. Quorum mendaciſſimi Cabbaliſtæ (revelato ſi forte à dæmonibus teſtimonio) literis & ſyllabis quandam ineſſe cum cœleſtibus corporibus & mentibus ſympathiæ connexionem, audacter adſtruunt. Nec deſunt, qui verbis illis majorem naturâ ſuæ efficiaciæ virtutem à linguâ

digniore vel ſanctiore fœneranrur. Alii de gente Epimenideâ planè ſomniculoſi, propria nomina radios quoſdam & igniculos eſſe rerúm, quas ſignificant, affirmare creduli, in ipſis nominibus quaſi vitam quandam latentem imaginantur. Sunt, qui exempla de hymnis Orphei, & Apuleji ſcriptis planè dæmoniacis mutuati, vim verbis complexis efficaciorem attribuunt, quando formula ſeu carmen, virtútis ac operationis aſtri, quod comprecantur, includit commemorationem. Quæ omnia vana ſunt & Antyciris digniſſima. Credebant etiam, compati ſupera inferioribus, & præſertim ſublunaria. Sic ei, cui ſanitatem vellent adferre, principio convenientem ejus ætati planetam deligebant: verbi gratiâ, ſeni Saturnum, puero Mercurium, viro Jovem: deinde etiam planetam convenientem aſſertioni vel qualitati inducebant; ut odio Martem, amori Venerem; & tandem ſignum, quod parti corporis, quam vellent juvare, præeſſet: ut capiti Arietem, pedibus Piſces. Nitebantur autem hâc ratione, quod cœleſtibus corporibus non Hebræi modo & Græci gentiles, ſed etiam quidam Patres & recentiores Philoſophi animam intelligentem attribuerent. Quod quàm ineptum ſit, olim Conſtantinopolitana Synodus & articuli Parienſes dijudicarunt. Patres autem, qui videntur hoc aſſeruiſſe, de cœli animâ figuratè & allegoricè ſunt locuti; quemadmodum & ipſa S. Scriptura

cre-

crebrò, quæ animatorum ſunt, inanimis attribuit. Alia etiam abſurda ſunt, quæ cœlorum & aſtrorum analogiam ad ſingulas ætates, & corporis partes, & animi affectiones accommodant. Sanè qui recte philoſophantur, illi vel nullos præter lucem & motum, influxus in hæc inferiora cœlis & aſtris concedunt; ſed potius influentias quaſdam agnoſcunt à motu & lumine realiter diſtinctas, per quas non calorem (hunc enim motu & luce producunt) ſed alias elementorum qualitates gignunt, quarum incorporearum rerum temperamentum vis eſt aliqua. Hoc nugatorium Ptolemæi axioma, qui ſtatuit, vultus inferiores cœlo ſubjectos vultibus cœleſtibus, Marcellum Empiricum, cæteroſque vanos medicos in eorrorem induxit. Ejus Marcelli exempla hìc infra adnotabimus. Cur enim, ſi tam potens aſtrorum in hæc inferiora fluxus, adjunguntur ritus hi ſuperſtitioſi? verbi gratia: ut ſi talem expetas affectúm, in tergo figuræ eum debeas inſcribere; ſi contrarium, in fronte: idque faciendum aliquando manú dextera, aliquando lævâ; modo deorſum, modo ſurſum: & cætera de genere eodem commenta. Nec majorem vim habet, quod putidè ſuperſtitioſi quidam medici ex opinione Pythagoreorum ac Platonicorum, divina quædam auxilia in ipſo número contemplantur. Quorum aſſentatores in hac parte & opinione plerique rationales fuêre; cum annum ſcalarem

vel climactericum homini lethalem, & octimestrem partum minimè vitalem ex numero conjicerent. Sed ea res cum jam satis ab Hippocrate sit explosa in libro περὶ ὀκταμήνου; tutius erit, eum solum sequi, quàm universos Academicos ad numerorum vim superstitiosè confugientes. Quàm ineptum est enim; pentaphyllo, non respectu foliorum substantiæ, sed ipsius quinarii numero vim tribuere? Quàm vanum & nugatorium; ejusdem herbæ uno folio, ephemeræ; tribus, tertianæ; quatuor, quartanæ mederi; quemadmodum & de heliotiopii granis, & selenitidis, & helioselini, ad eundem numerum assumptis opinabantur. Maximam autem vim habuit impar numerus, ut in ligaturis, & pilulis, licet æquali quantitate cum pari numero sumptis, obtinuit. Passim illud ex Sereno Samonico didici, ut & aliis medicis, quorum loca annotationibus nostris inserui.

Sed ad verba & characteres: De quibus illud prænotandum est; ea vel scribi, vel pronuntiari. Utraque simplicia sunt, aut composita. Simplicia rursus vel barbara, id est, nihil denotantia; vel aliquid indicantia. Composita verò in orationem formantur, eamque solutam vel ligatam. Scripta capiti, collo, brachiis, renibus, utero, imo ventri, aut aliis partibus alligantur, appenduntur. Prolata, variis modis, nempe obmurmuratu, susurro, elatâ voce, cantu, modulis, precibus pronunciantur; suntque vel sacra, vel pro-

Digitized by Google

profana. His omnibus vires ineſſe ſanandi voluerunt, quod & imperitum vulgus accredidit. Quæ ſingula diverſis exemplis illuſtranda ſunt. Hebræis ſolenne fuit collo ſuſpendiſſe verba, quibus tantam vim ineſſe dicit Rabi Hama libro ſpeculationis, ut contra omnes hominum adverſas valetudines remedio forent. Tale Sereni noſtri fuit ABRACADABRA, quod hemitritæo diëtim ordine retrogrado minuendum præſcribit. Talia veterum planè incognita & abſurda: ABRAC. AMON. item: GIBEL. DANATA. DARIES. DARDARIES. ASTARIES. quibus Cato luxata membra reſtituebat. Ex arte Cabaliſticâ & prodigioſâ pleraque nata ſunt, quibus morbos profligatos fuiſſe, Trallianus autor eſt. Quale ridiculum iſthoc, quod ad odontalgiam collo appendunt: GALBES. GALBAT. GALDE. GALDA. Sic ad hæmorrhagiam ſiſtendam quidam iſta obmurmurant: CHARAT, CARA SARITE, CONFIRMA, CONSONA. IMAHOLITE. In eadem, digito annulari partem affectam tangere, ac vicies ſepties pronuntiare jubent SOCNON, SOCNON. idemque toties repetere, donec ſanguis ſiſtatur. Contra peſtes & febres peſtilentiales tres verſiculos certo modo deſcriptos collo appendebant, quorum ultimus:

Ananiſapta ferit, mortem quæ lædere quærit.

quod

quod merè magicum eſt & prodigioſum. Nam illud *Ananiſapta* ex ſecretis myſteriis Mekúbalim, ſignificat dæmonem divinatorem; quem ſic occultè invocant, ut ferentis & ægrotantis miſereatur. *Ana* iis mentem denotat, cui innatæ primæ notiones; in cujus medio ſedere dicunt angelum, quem vocant *Anim*, qui rei veritatem aperit & indicat: unde & *Ana* nomen idoli, & illis *Anani* divinatio, *Saphat* iiſdem judicare: non igitur malam mortem *Ananiſapta* denotat, ut alii exponunt. Sanè magicæ voces pleræque ex Hebræo deſumptæ videntur. Anaxilas apud Athenæum ſcribit, quendam in conſutis ſcytariis, id eſt, minutis coriis habuiſſe literas Epheſias ſcitè formatas, quibus promitti videbatur felicitas. Eúſtachius Epheſias etiam literas, velut notulas quaſdam & voces magicas fuiſſe tradit, victoriarum & bonorúm ſucceſſuum divinatrices. Sed barbaras & magicas pleraſque in medicinam adhibebant, quales Eudoxia Imperatrix, narrante Heliodoro in hiſtoria Æthiopica; quæ, cum parturiens ægrotaret, voluit ſibi magicas literas utero ſuperimponi, ut mortuum fœtum ejiceret. Marcus Servilius Novianus, princeps civitatis, in metu lippitudinis chartam duabus Græcis literis P & A inſcriptam collo ſubjecit. Varro ultimo de Re Ruſtica, adverſus coxendicem hiſce verbis utebatur. SISTA, PISTA, KISTA, XISTA. & contrà dentium dolorem ter exclama-

Digitized by

clamabat: ANASAGA. ANASAGA. ANASAGA. Nicephorus libro quarto ſcribit, fuiſſe quædam vocabula Hebraïca, quæ ad eorum, qui initiabantur, terrorem proponi ſolerent. Qualia ferè ſunt ea prodigioſa, quæ adverſus morbos pronuntiantur, vel collo ſuſpenduntur. Marcellus Empiricus (in quo paris ſuperſtitionis aliquammulta monumenta reſtant) lippientes aureâ lamellâ collo annexâ ſanat, in quâ voces iſtæ ſculptæ ſunt: ΟΡΥΩ ΟΥΡΩΔΗ. Idem paronychia laboranti digito parietem contingendum eſſe tradit, ter ingeminando PU. PU. PU. *nunquam ego te videam per parietem reperi.* Ad lippitudinem inter principia ſedandam commendat in chartâ virgine ſcribendum ουβαικ, & licio, quod in tela fuerit, collo lippientis innectendum. Sequuntur & alia ejus deliria: *Incipiens lippitudo mirificè & ſine dubitatione depelletur, ſi in chartâ virgine ſcribas, & collo dolentis licio ſuſpendas, φύρφαραν, & hoc præligamen purùs caſtus facias. Hoc etiam remedium indubitatè impetus oculorum, ſi prævenias, probibebit, ſcriptum in chartâ virgine:* ρουβρος ρυονδρας ρηελιος ως. ηαντεφορα. Καὶ παντες ηακοτι. *Quod ad collum dolentis licio ſuſpendi debet: ſed & cœptam atque inveteratam lippitudinem ſedat, ſi in faciendo ac ſuſcipiendo præligamine caſtimonia ab utroque ſervetur.* Eodem capite octavo, digitis quinque manus ejuſdem, cujus partis oculum ſordicula ali-

aliqua fuerit ingressa, percurrendum & pertractandum oculum jubet, ter dicendo: TETUNC RESONCO, BREGAN, GRESSO. ter deinde spuendum, terque faciendum. Ibidem & aliud habet: ipso oculo clauso, qui carminatus erit, patientem perficandum, & ter carmen hoc dicendum, & toties spuendum: IN NON DERCOMARCOS AXATISON. Pro varulis & oculorum hordeolis: RICA RICA SONO. Pro iisdem carmen adjungit dicendum: *Κυρια, Κυρια, Κασσαρια, σουρωφβι.* & illud efficacissimum: *φεῦγε, φεῦγε κριθή σε διώκει*, quod tamen est alterius sensus & notionis. Notavimus ad Sereni locum de ABRACADABRA, eundem Marcellum adversus omnis sanguinis profluvium carmen hoc commendare: SICYCUMA CUCUMA, UCUMA, CUMA, UMA, MA, A. quod & alibi Græcè ferè expressit: *συκοσυκαμ συκυμα κυκυμα.* &c. Illud etiam ridiculum adversus narium fluxum ab eodem præscriptum: *ψα ψε ψη ψε ψη ψα ψε.* & illud adversus ea, quæ faucibus inhæserint: HEILEN PROSAGGERI VOME SIPOLLA NABULI ET ONODIENI IDEN ELITON. & illud: XI EXUCRICONE, XU, CRIGIONAISUS SCRISUMJOVELOR, EXUGRI CONEXU, GRILAU. Ad coli dolorem, infrà

frà quid in notis obſervamus, quod tædet repetere; ut & alia ejus nugamenta rationabilibus paſſim conſiliis inſerta, quorum aut nulla vis eſt, aut omninò prodigioſa. Quæſitum olim fuit à Porphyrio, *cur ſacerdotes uterentur plerumque verbis nihil ſignificantibus?* Reſpondet Jamblicus: *ea incognita ſuas apud Deum & dæmonem habere notiones.* Certiſſimum enim, quod olim Averrores adverſus Algazelen ſcripſit de characteribus, figuris & ſignis; ea perſe nihil poſſe, niſi quatenus cum dæmonibus ſunt confœderata. Rectè alibi Iſidorus: *ad hæc pertinent ligaturæ exſecrabilium remediorum, quæ ars non commendat medicorum, ſeu in præcantationibus, ſeu in characteribus ſuſpendendis atque ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum eſt ex quadam peſtiferâ ſocietate hominum & angelorum malorum exorta.* Et prudenter Sophoclis Ajax negat eſſe medici ſapientis: θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι. Ejuſmodi barbara ſchediaſmata collo plurimorum militum etiamnum appenduntur; ut ex hiſtoriis novellis patet & obſidionibus. De *Abracadabra* memini me quicquam legiſſe in eruditiſſimis Philippi Camerarii horis ſubciſivis, quod nunc non ſuccurrit. Huc etiam illæ formulæ ſpectant, quibus immiſcentur nomina Dei vel angelorum nota: qualis in piſcium capturâ fuit illa Geoponici Conſtantini, JAO SEBAOTH, in qua duorum Dei nominum abſuſus eſt. Qualis & illa Tralliani, quæ libro XI.

hisce verbis præscribitur : ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ , Σαβαὼθ , ὁ θεὸς ὁ στερίξας τὴν γῆν , καὶ στήσας τὴν θάλασσαν ῥεόνθων ποταμῶν πλεονάζων. ὁ ξηράνας τὴν τοῦ Λὼτ γυναῖκα , καὶ ποιήσας αὐτὴν ἁλατίνην , λάβε τὸ πνεῦμα τοῦ μητρός σου γῆς , καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς , καὶ σήρανον (lego ξήρανον) τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν ἢ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τοῦδε. Qualis & illa Marcelli Empirici ad corci dolorem cap. XXI. *Cave corcú, ne mergito* (*megito.* in meo libro scriptum) *cantorem , utos , utos , utos , præparabo tibi vinum leve, libidinem, discede à nonita in nomine Dei Jacob, in nomine Dei Sebaoth.* Nefariæ autem impietatis est, ejusmodi anilibus τερθρείαις sacrosanctum Dei nomen violare , ut Origenes ostendit contra Celsum : διέρισκεται ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασιν πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησις , καὶ παράληψις τοῦ Θεοῦ ὀνόματος ὡς οἰκείου ἀνδράσιν τούτοις (Abrah. Isaac, Jacob) εἰς τὰ κατὰ τῶν δαιμόνων. Idem: πολλοὶ τῶν ἐπαδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τῷ Ο ΘΕΟΣ ΑΒΡΑΑΜ , &c. cujus superstitionis etiam Synesius meminit περὶ ἐνυπνίων. Eodem numero referendæ sunt chartulæ, quæ τὸ πρῶτον τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου , contra febres collo appendunt : ut & aliæ , quibus inscriptum : *De latere exivit sanguis & aqua. Sanguis mane fixus, sicut Christus crucifixus.* Rabbini quoque nomina angelorum ignota confinxere ; quos dicunt, esse motores orbium cœlestium, fata discernere , fatales casus administrare : à quibus admiranda

randæ quædam opera homines diſcerent in curandis morbis. Nobis ut Chriſtianis hæc abominanda characterologica ſunto: Satius enim eſt, morte crudeliſſimâ mori, quàm per exſecranda & vetita remedia ſanitatem anquirere. Igitur chartam aut characteres ſubnecti collo, quicquid inſcribatur, cum Chryſoſtomo & Auguſtino ſtatuimus, meram eſſe idololatriam, ſi ignorantes fecerint; ſortilegium verò, ſi iſtud illi conceſſerint, qui noverunt interdictum, nec eo minus fidem ſuperſtitionibus adhibent.

Cæterum in ligatis etiam verbis eandem ſuperſtitionem agnovêre. Carminibus enim majorem vim attribuerunt, ac orationibus ſolutis; unde & ἐπωδὴ dici meruerunt ab efficaciâ & incantatione. Debebant autem vehementiore ſpiritu & affectu pronunciari; ut & ritu harmonico, calente, ratione prædito, ac ſuis articulis compoſito. Tale fuit illud veterum in magicis remediis uſurpatum.

Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει.

Opinabantur autem, Homericis majorem vim & virtutem ineſſe, quàm cæterorum Poëtarum: Unde & Homericam incantationem Galenus approbavit in libro, de occultis rerum proprietatibus, ut autor eſt Alexander Trallianus libro IX. cap. IV. Exſtat in Odyſſ. carmen efficaciſſimum, quo repreſſum Ulyſſi ſanguinem ab Autolyci filiis, Poëta canit hiſce verſibus:

Digitized by

Τὸν μὲν ἄρ' Αὐτολύκου παῖδες φίλοι ἀμφεπεύοντο,
Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο.
Δῆσαν ἐπισταμένως ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον. —— —— ——

Sic potores ebrios fieri negabant, ſi primis poculis hoc ejuſdem metrum pronuntiaſſent :

Τρὶς δ' ἄρ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς.

Sic illud arbori appenſum, fructum continere tradunt, nec injuriâ ullâ cœleſti decidere :

Χαλκέω δ' ἐν κεράμω δέδετο τρὶς καὶ δέκα μῆνας.

Ad dolores arthriticos hoc ſequens ejuſdem commendatur, quod exſtat Iliad. β.

Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δ' ἐστεναχίζετο γαῖα.

Alex. Trallianus contra podagram, auream laminam præſcribit, in quâ, Luna in Librâ vel Leone conſiſtente, inſcriptus ſit idem verſus Homericus. Marcellus Empiricns cap. XV. remedium valdè certum & utile faucium doloribus ait; ſi in charta, quæ in Phœniceo obvoluta lino colligatur, colloque ſuſpendatur, tres iſti ſequentes inſcribantur :

Εἶδον τριμερῆ χρύσεον Τοάναδον,
Καὶ τετράρχον Τουσάναδον,
Σῶσόν με σέμνε νερτέρων ὑπέρτατε.

Ad os piſcis faucibus inhærens, ab eodem hi duo commendantur præſentiſſimo remedio :

Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
Ἐξ ἄϊδος πέμψειεν ἐπαινὴ Περσεφόνεια.

Etiam annulis ea carmina, & alia περίαπτα inſcul-

ſculpebantur. Unde Trallianus annulum contra colicam commendat libro X. octangulo circulo, cum hac inſcriptione: φεῦγε, φεῦγε, ἰοῦ χολή: ἡ κορύδαλος ἐζήτει. Et alium Marcellus, ad eundem dolorem, cap. XXIX. Θεὸς κελεύει μὴ κύειν κόλον πόνους. Quibus accommodari poteſt illud proverbio decantatum, διὰ δακτυλίου δεῖσθε ἑλκυσθῆναι. ad quod Plinius alludens: *magicum erat, aliquid per annulum trajicere. Nam cerebrum capræ per annulum aureum trajectum, priuſquam lac daretur infantibus, inſtillabatur contra comitiales, cæteroſque infantium morbos.* & Ariſtophanes in Pluto:

Οὐδὲν προτιμῶ σου, φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.

Sed omnia ſi ex commentis antiquorum extrahamus, librum protendemus. Plura vanæ ejuſdem perſuaſionis exempla paſſim apud illos leguntur, qui Principum medicorum nomine cenſentur. Eo autem tempore, quo Serenus Samonicus medicinam ſuam conſcripſit, hæc remedia ſuperſtitioſa adeò invaluerant; ut ille cæterorum exemplo vim illis mirificam attribueret, & alibi rem certam & ſalutarem agnoſceret

Carmen ab occultis tribuens miracula verbis.

Teſtatur & idem Spartianus in Caracalla (nam & ejuſdem imperio Serenus vixit) eundem Caracallam ſuppliciis compeſcere conſueviſſe eam ſuperſtitionem: *damnatique ſunt, & qui remedia*

quartanis tertianisque collo annexa gestarent. Unde Canones etiam anathema fulminant in eos, qui philacteriis utuntur ejusmodi; & si clerici ea faciant, jubentur ecclesiis ejici. Exstat & Synodi VI. in Trullo can. LXI. ad quem Balsamonis hæc verba sunt: φυλακτήριοι, *hoc est, remediorum seu amuletorum præbitores, dicuntur; qui fraude dæmonis, eis, qui à se recipiuntur, vincula quædam ex sericis filis contexta, quæ &* πέγγια *dicuntur, præbent: quæ aliquando quidem intus habent scripturas, aliquando verò falsa quædam alia, quæcunque inciderint. Dicunt autem hæc juvare, si ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuo pendeant, ad omne malum vitandum.* Sed hæc de veterum illorum medicina & superstitione: Nunc de Sereno, & ejus argumenti scripto, & nostrâ operâ pauca dicenda supersunt.

Assentior asserentibus; eum, cujus parabilis hæc tantum morborum medicina ad nos pervenit, Patrem esse Sereni Samonici, qui Gordiani junioris præceptor fuit, ut Capitolinus testatur in ejus vitâ. Duo enim fuerunt nomine & cognomine eodem Sereni Samonici, Pater & Filius. Pater, quem occidit Caracalla; narrante Spartiano: *Occisi nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam Samonicus Serenus, cujus libri plurimi ad doctrinam exstant.* Quod non satis perspexit Riccobonus, cæterique viri docti, qui utrumque confudêre. Patris omnia scripta sunt, quæ ab antiquis

quis memorantur: *Libri ad Antoninum Caracallam*, quorum & idem Spartianus in Geta meminit hisce verbis: *Sereni Samonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit.* Item *Rerum reconditarum*, à Macrobio laudati, cujus hæc verba sunt libro III. Saturnal. cap. IX. *nam reperi quinto Rerum Reconditarum Sammonici Sereni utrumque carmen; quod ille se in cujusdam Furii vetustissimo libro reperisse professus est. Est autem carmen hujusmodi, quo Dii evocantur, cum oppugnatione civitas cingitur:* SI. DEUS. SI. DEA. EST. CUI. POPOLUS. CIVITAS. QUE. KARTHAGINIENSIS. EST. IN. TUTELA. TE. QUE. MAXIME. ILLE. QUI. URBIS. HUJUS. POPOLI. QUE. TUTELAM. RECEPISTI. PRECOR. VENEROR. QUE. VENIAM. QUE. A. VOBIS. PETO. UT. VOS. POPOLUM. CIVITATEM. QUE. KARTHAGINIENSEM. DESERATIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. URBEM. QUE. EORUM. RELINQUATIS. ABSQUE. HIS. ABEATIS. EI. QUE. POPOLO. CIVITATI. QUE. METUM. FORMIDINEM. OBLIVIONEM. INJICIATIS. PRODITI. QUE. ROMAM. AD. ME. MEOS. QUE. VENIATIS. NOSTRA. QUE. VOBIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. URBS.

ACCEPTIOR. PROBATIOR. QUE. SIT. MIHI. QUE. POPOLO. QUE. ROMANO. MILITIBUS. QUE. MEIS. PRÆPOSITI. SITIS. UT. SCIAMUS. INTELLIGAMUS. QUE. SI. ITA. FECERITIS. VOVEO. VOBIS. TEMPLA. LUDOS. QUE. FACTURUM. *In eadem verba hostias fieri oportet, auctoritatemque videri extorum, ut ea promittant futura. Urbes verò exercitusque sic devoventur jam numinibus evocatis. Sed dictatores, imperatoresque soli possunt devovere his verbis:* DIS. PATER. VEJOVIS. SIVE. VOS. QUO. ALIO. NOMINE. FAS. EST. NOMINARE. UT. OMNES. ILLAM. URBEM. KARTHAGINEM. EXERCITUM. QUE. QUEM. EGO. ME. SENTIO. DICERE. FUGA. FORMIDINE. TERRORE. QUE. COMPLEATIS. QUI. QUE. ADVERSUM. LEGIONES. EXERCITUM. QUE. NOSTRUM. ARMA. TELA. QUE. FERENT. UTI. VOS. EUM. EXERCITUM. EOS. HOSTES. EOS. QUE. HOMINES. URBES. AGROS. QUE. EORUM. ET. QUI. IN. HIS. LOCIS. REGIONIBUS. QUE. AGRIS. URBIBUS. VE. HABITANT. ABDUCATIS.

LU-

Digitized by Google

LUMINE. SUPERO. PRIVETIS. EXERCITUM. QUE. HOSTIUM. URBES. AGROS. QUE. CAPITA. ÆTATES. QUE. EORUM. DEVOTAS. CONSECRATAS. QUE. HABEATIS. ILLIS. LEGIBUS. QUIBUS. QUANDO. QUE. SUNT. MAXIME. HOSTES. DEVOTI. EOS. QUE. EGO. VICARIOS. PRO. ME. FIDE. MAGISTRATU. QUE. MEO. PRO. POPOLO. ROMANO. EXERCITIBUS. LEGIONIBUS. QUE. NOSTRIS. DO. DEVOVEO. UT. ME. MEAM. QUE. FIDEM. IMPERIUM. QUE. LEGIONES. EXERCITUM. QUE. NOSTRUM. QUI. IN. HIS. REBUS. GERUNDIS. SUNT. BENE. SALVOS. SIRITIS. ESSE. SI. HÆC. ITA. FAXITIS. UT. EGO. SCIAM. SENTIAM. INTELLIGAM. QUE. TUNC. QUISQUIS. HOC. VOTUM. FAXIT. RECTE. FACTUM. ESTO. OVIBUS. ATRIS. TRIBUS. TELLUS. MATER. TE. QUE. JUPITER. OBTESTOR.

Idem Macrobius aliud Fragmentum ejusdem Sereni laudat cap. XVI. de pisce accipensere: *Temporibus Severi Principis, qui ostentabat duritiam morum, Sammonicus Serenus, vir sæculo suo doctus, cum*

cum ad Principem ſuum ſcriberet, faceretque de hoc piſce (accipenſere) *ſermonem; verba Plinii, quæ ſuperius poſui, præmiſit; & ita ſubjecit: Plinius, ut ſcitis, aduſque Trajani Imperatoris venit ætatem. nec dubium eſt, quod ait, nullo honore hunc piſcem temporibus ſuis fuiſſe, verum ab eo dici. apud antiquos autem in pretio fuiſſe, ego teſtimoniis palam faciam; vel eo magis, quod gratiam ejus video ad epulas quaſi poſtliminio rediſſe. quippe qui dignatione veſtra cum interſum convivio ſacro, animadvertam, hunc piſcem à coronatis miniſtris cum tibicine inferri. Sed quod ait Plinius, de accipenſeris ſquamis, id verum eſſe, maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus oſtendit. in cujus libro de animalibus quarto, ita poſitum eſt: Cur alii piſces ſquamâ ſecundâ, accipenſer adverſâ ſit. Hæc Sammonicus.* In quibus tamen verbis Samonicum, Plinium juniorem cum majore confundere, notavit ad Euſebium ſuum illuſtris Scaliger. Aliud ejuſdem fragmentum ab eodem Macrobio citatur cap. XVII. de Lege Fanniâ: *Poſt annum vigeſimum ſecundum legis Orchiæ Fannia lex lata eſt, anno poſt Romam conditam, ſecundum Gellii opinionem, quingenteſimo octuageſimo octavo, de hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia Auguſti ingenti omnium ordinum conſenſu pervenit ad populum. Neque eam prætores aut tribuni, ut pleraſque alias, ſed ex omni bonorum conſilio & ſententiâ ipſi conſules pertulerunt, cum reſpublica ex luxuria conviviorum,*

majora quàm credi poteſt, detrimenta pateretur. Siquidem eo res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem ſuam venditarent: plerique ex plebe Romanâ vino madidi in commitium venirent, & ebrii de reipublicæ ſalute conſulerent. Hæc Sammonicus. Et videtur idem ſanè cum illo fuiſſe, quem allegat Arnobius libro VI. adverſus Gentes, in hæc verba: *Quod ſi planum fieri teſtimoniis poſtulatis auctorum; Sammonicus, Granius, Valerianus vobis & Fabius indicabunt, cujus Aulus fuerit filius, gentis & nationis cujus, ut à germani ſervulis vitâ fuerit ſpoliatus & lumine.* Servius quoque hujuſdem auctoritatem producit libro primo Georgicor. ad illud Virgilii: *& ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes. Sanè Gargara, multi auctores Græci, ſicut Serenus Sammonicus tradit, altitudinem Idæ montis, & per hoc abuſivè, omnes ſummitates montium Gargara appellant.* Fuit autem apprimè doctus, & antiquitatis Romanæ peritiſſimus, quam magnâ ex parte expoſuiſſe, conſtat ex reliquiis fragmentorum. Nec tam Poëtarum, quàm Hiſtoricorum numero recenſendus eſt, quibus & à Sariſberienſe libro VIII. cap. XVIII. de nugis curialium, annumeratur. Argumento ſunt & ea Capitolini verba, quæ de filio Sereno profert in Gordiano juniore: *Sereno Sammonico, qui patri ejus amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus & charus; uſque adeò, ut omnes libros Sereni Sammonici patris ſui,*

qui censebantur ad LX *& duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem tanta bibliothecæ copiâ & splendore donatus, in famam hominum literatorum decorè pervenit*. Ceterum ineptè quidam hallucinantur, qui Serenum hunc cum altero Lyrico, Aulo Sereno confundunt. Eum passim Hieronymus & Martianus Capella, pluribus in locis laudarunt. Error autem iste ex incognitis ejus poëmatis; quæ Servio, ceterisque Grammaticis adducta, velut è naufragio tabellæ, circumferuntur. Reliqua ejusdem collegêre, quibus labor fuit, anquirere veterum Poëtarum fragmenta. Notabis etiam *Sammonicum* vocari nostrum ab Arnobio, Spartiano, Capitolino & Macrobio; quem *Samonicum* cognominatum habent antiquæ ejus membranæ; præter unas, quod sciam, Venetas; quas olim vir divæ memoriæ, Robertus Keuchenius, M. D. Urbis Vesaliensis Consul amplissimus, & Sereniss. Electoris Brandenburg. Archiater, avus meus, sibi comparaverat. In iis schedis, uti & alterâ editione Molinianâ, *Samoniacum*, cognominatum offendi. Sed & in aliis Macrobii scriptis etiam *Samonicus* appellatur. Quod cognomen ejus unde fluxerit, juxta scio cum illis, qui nesciunt; quia nec autorem habeo, qui id me doceat. Possem tamen ex incerto divinare, nisi scirem, prudentiam quodammodo esse divinationem. Recentiores, qui scri-

Digitized by Google

ſcriptum hoc medicum, ejuſque Autorem citarunt; in nomine paſſim mutarunt ordinem: & *Q. Samonicum Serenum* vocarunt, quem *Serenum Samonicum* vetuſtiores. quod mirum tamen, & ex ſolâ laudantium incuriâ. Eodem tamen morbo capita cæterorum autorum affecta ſenſimus, & ab illis vitiata, qui rectum ſcribendi modum ignorabant. Græci pariter & Romani juxtà cognomen pro nomine, medio loco ſortiti ſunt. De iis nos aliàs ex profeſſo. Docendum mihi nunc eſt, quid in hoc ſcripto & medicinæ compendio ſit obſervandum. Autor hic cum miſcellaneam priorum medicorum curam, magno ægrorum diſpendio & incommodo introductam animadverteret; brevi methodo eandem reconcinnare & exponere ſuſcepit, ut ſimplici quadam via & curatione, quam anteriores medici ſecuti fuerant, humana valetudo reſtitueretur. Nam cum alii, præſertim Empirici, ſpecioſis & fucatis poppyſmatis multa cujuſcunque modi remedia venditarent, & ex omnibus orbis partibus corrogata laudarent, ut pluris ægro conſtaret ſanitas: ille paſſim eam ambitionem & lucri ſtrepitum abhorrens, parabilem quandam lepidiſſimis verſibus medicinam conſcripſit, cujus exemplo certoque tenore ſanitas humana conſtaret, vel aflicta facilè repararetur. Habemus eâ de re luculentiſſimos ejus verſus hinc inde conſertos, ut capite XV. ubi de dentium vitio & oris foetore medendo;

Am-

Ambitiosa putas, sunt ista salubria cunctis.

& alibi sub lemmate ventris molliendi, satis ea medicamenta velut αἰγροφορεῖ detestatur hisce versibus :

Multos præterea medici componere succos
Consuerunt; pretiosa tamen cum veneris emptum,
Falléris, frustràque immensa nomismata fundes.

Veteres enim isti lucriones splendidis & magnificis titulis suas compositiones & antidotos ornabant; quarum aliæ πανάρετοι vocabantur, aliæ σωτήριοι & ἰσόθεοι, ut habemus apud Myrepsum; quibus omnibus *honestas* opponit Serenus capite XLVII.

—— sanguis poterit prodesse caninus,
Qui facili potú antidotos imitatur honestas.

Argumento sunt & ea carmina, quibus capit. XXIII. istam sumptuosam curationem aspernatur :

Quid referam multis composita Philonia rebus?
Quid loquar antidotum variis? quis ista requirat?
At nos panperibus præcepta feramus amica.

Triplicem porrò medicinam tractat; naturalem, accidentalem, & superstitiosam. Naturalem, juxta membrorum seriem à capite exorsus, per universum corpus deductam absolvit. Accidentalem sive fortuitam, cap. XLIV. aggreditur. Eam verò divisionem ex ipsis Sereni versibus habeo, quibus in illud cap. XLIV. ipse præfatur :

Na-

Digitized by Google

Naturæ vitiis medicas objecimus artes:
Nunc & fortunæ jaculis obsistere par est.

Superstitiosam passim, Tralliani, Aëtii, Myrepsi, Marcelli, cæterorumque medicorum exemplo immiscet. Qualis illa de ternâ despuitione in vulnus (quam ex veteri libro meo avito, cap. XXXVII. primi omnium observamus) de amuletis contra febres appendendis, de carminibus magicis, de *Abracadabra* diëtim ordine retrogrado minuendo; de felle capræ sub pulvino posito, conciliando somno; de Strigibus nocturnis infantium alumnis; de ligaturis & pilulis impari numero adhibendis, & aliis magorum remediis, quibus morbos fugari posse credebant. Non sequitur autem eam medicinam in omnibus, quemadmodum ex curâ quotidianarum febrium colligo, ubi credulam veterum superstitionem & anilium fabularum carmina velut monstrosa carpit. Aliâ etiam methodo, quam anteriores medicorum filii, in accidentali curâ progreditur. Quædam ejus capitula in membranis aliter comparent, ac editionibus; quædam ipso lemmate corrupta sunt, ut passim docuimus. Versus interdum omissi, vel amissi, ut ex aliis manuscriptis apparet, quibus olim excutiendis Pithœus, Barthius, cæterique doctissimi correctores præfuêre. Voces etiam & syllabæ contra veterum auctoritatem contractæ, vel productæ. Cæterum, exemplar meum hæredita-

Digitized by Google

tarium, quod paſſim avitum laudamus, varias mihi lectiones obtulit ab aliorum imprimis librorum ſcripturâ longè diverſas: uti & inde colligam, ex arbitrio deſcribentium literionum Autorem hunc corruptum aut emendatum fuiſſe; quod & primam anſam dedit tot innumerorum errorum & incredibilium lectionum. Prout enim primâ fronte verba illis occurrebant, ita mox arripiebantur: Adeò quidem, ut in re noſtrâ capitali tam diſcrepantes à ſe invicem tabellas, decretorias approbarent. Accedit & Longobardus character, quo liber ille deſcriptus, ſæpe literarum affinitatem commutavit. De ejus antiquitate nihil ferè mihi conſtat: Poſſum tamen ex eâ ſcripturâ colligere dignitatem ejus & ætatem non recentium annorum. Qui Autorem hunc typis primum excudendum dedêre; neſcio, an habeam compertum: Invenio tamen editionem ejus Aldinam prodiiſſe cum Corn. Celſo ad annum cIↄ Iↄ xxviii. quâ nullam me fateor reperiſſe anteriorem. Interjecto deinde quinquennio, Tigurinam ejus editionem accuravit Gabriel Humelbergius, libroque commentario, quem necdum videre mihi contigit, adornavit. Eandem Tigurini poſt ſeptennium denuò recudêre. Aliam etiam Baſilienſes dedêre, cum brevioribus Georgii Pictorii, Villingani commentariis. Poſt eam, Lipſiæ excuſam reperio, & à Rivino, cum Sexto Placito, aliiſque autori-

toribus medicis accuratam, anno cIↄ Iↄ LIII. Præmiſſo tamen quadriennio, cum Celſo & Q. Rhemnio Palæmone prior illâ Lugduni prodiit, minutiſſimâ libri formâ & charactere. Aliam à Joh. Cæſareo caſtigatam, cum ceteris ejus editionibus contuli, uſus imprimis illâ Gryphiana, quæ ad annum cIↄ Iↄ XLII. ab Antonio Molinio Matiſconenſe deligenter emaculata, prodiit. Aliam deinde Tigurini ſuppeditarunt, anni cIↄ IↄcXI. quæ principes omnium editiones fuerunt. Inter eos Autores, quos ad ferream ætatem digeſſit Gaſp. Schioppius, etiam Samonicum invenio, qui de medicina tam *Saluberrima Præcepta* concinnavit. Unde titulus ille Sereni fluxerit, alii nos ambigere ſinunt. Ego tamen ab ipſo Sereno prodiiſſe cenſeo, qui τὰ κεφάλαια medicinæ, PRÆCEPTA SALUBERRIMA vocaverit. Suetonius Aug. cap. LXXXIX. *In evolvendis utriuſque linguæ autoribus nihil æquè ſectabatur, quam præcepta & exempla publicè vel privatim ſalubria.* Sunt autem medicinæ capitula, quæ breviter comprehendunt, quod ad ſanitatem conſervandam vel recuperandam expediat. Hallucinantur igitur illi, qui PRÆCEPTA SALUBERRIMA hic θέματα exponunt, & *titulos*, qui breviter comprehendunt, quid in medicinâ tractetur. Græci ejuſmodi θέσεις & θέματα vocant, argumenta, quæ aſſumi vel poni ſolent, ut illuſtrentur & explicentur. Philoponus in primum

mum ὑςέρων. ὡς πολλάκις τὸ αὐτὸ οὐ ἀποδειχθείη δῆλον καὶ ἐκ τῶν λημματίων. πλείοσι γὰρ περιτείνεται. ἕκαςος δὲ καθ᾽ ἄλλην καὶ ἄλλην ἐπιβολὴν τὸ αὐτὸ ἐπιδείκνυσι. Scholiaſtes Ariſtophanis in Nebulas: δοκοῦσι καὶ οἱ ἄλλοι κωμικοὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν λημμάτων οὐ τὰ αὐτὰ εἰσάγειν δράματα. Atque hæc quidem ante Serenum dicenda erant: Nunc ipſum Autorem aggrediamur, & ipſa *Præcepta Saluberrima* cum Græcis & Latinis anterioribus conferamus.

R o-

ROBERTI KEUCHENII
AD
Q. SERENUM SAMONICUM
NOTÆ
ET
EMENDATIONES.

MEmbrorum series, certo deducta tenore,] *Tenorem membrorum* vocat, rectam constitutionem corporis humani. Infrà de stomacho rege corporis humani: *Hujus enim validus firmat tenor omnia membra.* & alibi: *Quod si luxa suo decedant membra tenore.* Quo sensu rectè *juncturam & compaginem artuum* exponunt Arabes. Antiqui medici passim, quos Serenus secutus est, artis exordium à capite sumebant, ut ipsa medicina quasi per omnia membra descenderet, & ad seriem cæterarum corporis partium accommodaretur. *Deducta* autem summâ dictum est elegantiâ, cum talis sit ordo & series membrorum; ut uno velut fonte & perenni quadam similique serie deducantur. Pari ferè sensu dixit Horatius: *tenui deducta poëmata filo.*

Principio celsa de corporis arce loquamur.] Veteres membranæ Venetæ, quas literis Longobardicis, ex

 hære-

Digitized by Google

hæreditate viri quondam Ampliſſimi, Roberti Keuchenii, Medicinæ doctoris, inclytæ Veſalienſis Urbis Conſulis, piæ memoriæ avi mei, deſcriptas habeo; hoc verſu legebant, *de corporis arte loquamur*: ut referatur ad ἰητρικὴν τεχνέων πασέων ἐπιφανεστάτην. Quod non puto à Samonico, ſed ineptâ ſequioris ævi manu ſcriptum; præſertim, cum in illo charactere Longobardico variæ & affines literæ confundantur. Claudianus: *alta capitis fundavit in arce.* Alcimus Avitus libro I.

Dehinc arcem capitis ſublimi in vertice ſigna

Serenus infrà, de oculis humanis:

Quos quaſi cuſtodes, defenſoreſque pericli,
Proſpiciens ſummâ natura locavit in arce.

Theod. Priſcianus libro I. cap. I. *Erit nobis de capite tanquam ex arce ad reliquam curam corporis deſcendendum.* Victor Uticenſis libro I. *Parvulos rapiens ab uberibus maternis barbarus furor, inſontem infantiam allidebat ad terram. Alii à regione pedes tenentes, à meatu prorſus naturali uſque ad arcem capitis diſſipabant.* Iſidorus libro XIX. cap. XXIII. *Ipſam capitis ſui arcem ambitu crinium contegat.* Iſidorus Peluſiota lib. I. ἀμφοτέρων τοιγαροῦν ἀπεχώμεθα, ὥστε ποτοῦ, ὥστε θυμοῦ πολιορκοῦντος τὴν τοῦ νοὸς ἀκρόπολιν. Philo de Somniis, ubi de ſede animæ: οἱ μὲν γὰρ τὴν ἀκρόπολιν ἐν ἡμῖν ἀνιέρωσαν αὐτῷ τὴν κεφαλήν, περὶ ἣν καὶ αἱ αἰσθήσεις λοχῶσιν, εἰκὸς εἶναι νομίσαντες ἐγγὺς διὰ μεγάλου βασιλέως ἐφεδρεύειν δορυφόρους. Inde ineptiſſimi Grammatici *arces* ab *Arcadibus* voluêre nominatas, quoniam in excelſa parte mentis habitarint Arcades. Quod ridiculum.

Phœbe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen,] Nihil mutandum. Veteri libro ſcriptum: *quod pandimus, aſſere carmen.* Sed illud τεχνικὸν Poëtarum verbum. Ennius:

Aſpicite ò cives, ſenis Ennii imagine formam,

Qui

Digitized by Google

Qui vestrûm panxit maxima facta patrum.

Agellius libro XIII. cap. XIX. ex Probo Valerio: *Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis; atque ea verba tibi dicenda sunt, non finitiones. illas prærancidas neque fæcutinas grammaticas spectaveris; sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere.* Cicero Tironi libro ultimo Epist. *An pangis aliquod Sophocleum? fac opus appareat.* Orditur autem Serenus initium carminis ab invocatione numinum inventorum. Nihil notius apud Poëtas. Nos Oppiano uno Catone contenti erimus II. Ἁλιευτ.

Κεῖται γὰρ τέχνας πολυκερδέας ἀνθρώποισι
Δῶκαν ἔχειν, καὶ πᾶσιν ἐπιφροσύνας ἐδίδαξαν.

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas Nosti] Liber avitus: *Tuque potens artes.* ἀρχαϊκῶς. Barthio inspectus: *Tuque potens artus reduces qui tradere vitæ.* Omnino legendum, ut edidimus. In eodem Barthiano: *Et nosti in cœlum.* Quod ipse erroris arguit, nec ego absolvo. Sed in veteri libro: *Nosti atque in cœlum.* quod indubiè rectum est. Loquitur autem de Æsculapio, quem Poëtæ dictum fabulantur ἀπὸ τοῦ ἀκκλῆσθαι. (sic omninò apud Phornutum etiam legendum, pro ἠπιᾶσθαι, quod in expressis legitur) καὶ ἀναβάλλεσθαι τὴν κατὰ τὸν θάνατον γινομένην ἀπόκλισιν. Incurabilia cæteris sanando, Deorum numerum ingressus est. Cornelius Celsus procemio de Re medicâ: *Vetustissimus autor Æsculapius celebratur, qui quoniam adhuc rudem ac vulgarem hanc scientiam paullo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est.* Causa evidentior apud Galenum, qui scribit: Τελείαν ἰατρικὴν καὶ τοῖς ἑαυτῆς μέρεσι συμπεπληρωμένην, τὴν μὲν ὡς ἀληθῶς θείαν Ἀσκλήπιον μόνον εὑρηκέναι. Idem Phornutus de Asclepio sive Æsculapio: τὸν Ἀσκλήπιον υἱὸν αὐτοῦ ἔφασαν γενέσθαι, τὸν δοκοῦντα τοῖς ἀνθρώποις ὑποδεδειχέναι τὴν ἰατρικήν. ἐχρῆν γὰρ καὶ τούτῳ τῷ τόπῳ Θεὸν ἐπιστῆσαι. Invenit autem medicinam

clinicem, ut Chiron *chirurgicam*, & *ocularium* Apollo. Unde Pindarus eum, ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νόσων, od. III. Pyth. cognominavit. Ausonius:

——— *genitor studuit medicinæ*,
Disciplinarum quæ dedit una Deum.

Idem in præfat. Griphi: *quem tu, ut Æsculapius, redintegrabis ad vitam.* Hyginus, *ideo* (ait) *anguem in Æsculapii tutela esse, quod ejus beneficio monstrata herba vitam filio regis restituerit.*

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,] Sic Cæsareana, Moliniana, Stephaniana, editiones habent dissentientibus meis membranis, quibus exaratum:

Qui colis Ægiam, qui Pergama, quique Epidamnum.

Ægiam, τὴν Αἰγίαν. Exinde fortassè Turnebus *Æginam* conjiciebat ex Aristophane in Vespis: Διώπλευσεν εἰς Αἴγιναν. Vide eum libro XVII. cap. XIIX. Adversariorum. *Epidamnum* tamen planè mendosum est in meo libro, pro *Epidaurum*. Diverso errore scriptum invenio apud Petronium in civilibus: *nescis tu, Magne, tueri Romanas acies? Epidauria mœnia quære.* ubi omnino rescribendum: *Epidamnia mœnia quære.* talia sæpe occurrunt in schedis incerta manu exaratis. Pompejus enim cum Româ fugeret, Epidamnum sive Dyrrachium se contulit. Versu sequenti liber Pithœanus habuit: *Qui quondam placidâ tectus sub pelle draconis.* noster avitus: *Qui quondam impacida tectus sub polle draconis.* Scribendum puto: *Qui quondam impavidâ tectus sub pelle draconis.* Quod non eget interpretis.

Tarpejas arces, atque inclyta templa petisti.] Certè *indita templa* legendum ex antiquis, quod & Pithœus monuit. Sic *indita rupibus castella*, Tacitus & alii dixerunt. Marcellus Empiricus ex magistro officiorum Theodos. Senioris in carmine, quod Vindicia-

diciano comiti Archiatrorum ſub Valentiniano malè tribuitur, de eodem Æſculapio:

Quod didicêre olim Podalirius atque Machaon
A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem
Templa Palatinæ ſubiit ſublima Romæ.

Marinus Lupercaliorum Poëta vetus, cujus hi verſus apud Servium leguntur, ad Eclogam primam:

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
*Adquiſivit * * **
Sed diva flava & candida
Roma Æſculapi filia
Novum nomen Latio facit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipſo omnes Romam vocant.

Nec placet, quod in meo cæteriſque fuit: *Atque indita tecta petiſti. Templa,* etiam Marcellus habet, & alibi Catullus: *Attigit injuſti regis Gortynia templa.* Sic ibidem Scaliger è libro ſuo reſtituit, cum antea *tecta* legeretur. Omnia loca *templa* vocabant veteres, ut habes apud Varronem.

Depellens tetros præſenti numine morbos.] Non *præſtanti numine,* quod ſine numine præſtant membranæ. Corippus quartâ periochâ libri primi: *ut feſſum ſenio & calamitatibus implicatúm præſenti regat pietatis intuitu.* ubi etiam malè *præſtanti* ſcio lectum, eodem mendo, quod hîc caſtigamus. Scribonius Largus: *medicamento efficaci dato, protinus velut præſenti numine, omni dolore periculoque liberaſſe ægros. Præſenti numine,* velut proverbio dictum, cum derepente aut præter ſpem aliquid curatur. Infrà Serenus, *hoc præſens medicamen habetur.*

Huc ades, & quicquid cupido mihi ſæpe roganti Firmaſti] Alii libri notantibus aliis: *cupido mihi ſæpe locutus.* Avitus: *cupidè mihi ſæpe roganti Firmaſti, nunc*

tú teneris expone papyris. Quomodo legendum diú sustinuerunt emendatores. *Teneris expone papyris*, ὀλιγοστίχοις, quibus opponuntur πολύστιχοι. unde πολύστιχον βιβλίον pro magno passim apud Photium: μέγα καὶ πολύστιχον βιβλίον. Veteres enim medici versuum multitudine libros æstimabant. Galenus libro primo Anatomicarum aggressionum. λύκου τὸ σύγγραμμα νῦν ἡμῖν ἐκομίσθη, μικροῦ δεῖν εἰς πεντακισχιλίους στίχους ἐκτεταμένον. Quintilianus libro VII. cap. I. *multis millibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus, utra pars deberet prior dicere.* Vel *teneris*, compendiosis. Sic teneris opponunt laboriosas, μεγάλη καὶ ἀκριβεῖ σπουδῇ τε καὶ ἐπιμελείᾳ πεπονημένας. Vel *teneris*, bonis & egregiis: Sic allusum ad Callimachi dictum, qui τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Vel *teneris*, quia cæteri Poëtæ chartis majoribus sua carmina scribebant. Martialis in apophoretis:

Non est munera quod putes pusilla
Cum donat vacuas Poëta chartas.

Isidorus: *Genera librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur: Breviore forma carmina atque epistolæ; at verò historiæ majore modulo scribebantur. Papyrus* autem, rectè pro libro & poëmatio. Catullus:

Velim Cæcilio papyre dicas.

CAPITI MEDENDO.

Balsama si geminis instillans auribus addas.] Stephanus ad oram editionis suæ *indas* notavit, quomodo rectè liber avitus, sed immutatis antecedentibus:

Balsama si geminis instillans auribus indas.

Quod corruptum fortassan ex *naribus*, inepto tamen sensu & errore. Sic apud Tibullum:

Oscula comprensis naribus eripiet.

Scri-

Digitized by Google

Scribendum & ibidem: *auribus eripiet*. Sed illud *noribus* depravatum esse potest ex *oribus*, quod ἀρχαϊκῶς pro *auribus* dicebant: ut *oricilla* pro *auricilla*: *osculinus* pro *Ausculinus*, & apud Celsum *oricularius clyster*, ὠτιγχύτης. Sic *auscular* pro *osculari* è diverso dicebant, & alia. *Balsama* autem, id est, balsaminum oleum, succus, qui àuribus inditur, cum stillatim infunditur. Lampridius Heliogabalo: *Idem in lucernis balsamum exhibuit*. Sed & Poëtæ balsamum cum opobalsamo confundunt, quod tamen hic non intelligitur, ut malè existimavit Georg. Pictorius. βάλσαμον proprie de arbore, ὀποβάλσαμον (quasi ὀπὸς τοῦ βαλσάμου, sicut ὀποπάναξ est ὀπὸς τοῦ πάνακος) de lacrima sive succo, ξυλοβάλσαμον de ligno dicitur. Apud Serenum passim, cum balsama præscribuntur, de oleo balsaminò est intelligendum. Sic alibi hemicranio medendo balsama præscribit:

Allia diversam lana contecta per aurem
Inducta prosunt, & eodem balsama pacto.

Ubi malè sunt interpretes, qui *diversam aurem* de *gemina* exponunt. *Diversa auris* est ex altera parte capitis, ut habet glossularius ad Samonicum: *gemina* autem, est utraque, cui eadem curâ balsama instillantur. Aliter Poëtæ *geminas aures* vocant, ut & Græci ἀμφιδύμους ἀκοάς. Catullus:

Roseis ut hic labellis palans sonitus abit,
Geminasque vox Deæ aures nova nuncia referit.

Tunc poteris alacrem capitis reparare vigorem.] *alacrem vigorem* venustè junxit, ut *vigores*, & *alacritates* Agellius libro XIX. cap. XII. Apulejus *saltationis agilem vigorem*, & *alacrem vigorem libidinis* X. & II. Milesior.

Vel quæ septenis censentur gramina nodis.] Quartum polygoni genus intelligit, de quo Plinius lib. XXVII. cap: XII. *Herbarii & ad anginas utuntur illa;*

Digitized by Google

illa ; & in capitis dolore coronam ex ea imponunt. Vide Appulejum de herbis cap. XIIX.

Utiliter nectis, vel corno ex arbore sertum,] Ferri vix potest hæc lectio: Sequentia veterem poscunt: *Utiliter nectes.* Sic etiam habet avitus, & postea, *vel corno ex arbore fructum.* Sed *sertum* non immutandum. *Coronam* passim vocat Marcellus. *sertulæ campanæ coronam, pulegii coronam,* & alia capiti medendo adhibenda.

Pulegiumve potens una super aure locabis] Sic passim Serenus epitheton *potens* pulegio subjungit, ut etiam Marcellus; quem alii Vindicianum, alii Serenum vocant, versu trigesimo:

Rutamque, absturcum, & amara absinthia misce,
Pulegiumque potens, nec non & lene cyminum,
Palmula nec desint Idumes, nec pruna Damasci.

Sic emendandum censeo ex veteri scriptura, quæ fuit:

Palmula nec desint Dymes, nec poma Damasci.

Aut illud misto recoquens clementer aceto Cautâ nare trahes.] Vulgò tam bene: *coctum clementer aceto.* Sed in Samonico *recoquere* sæpe pro *coquere*, aut *decoquere* lego positum. *Coctum clementer*, id est, elixum: nam *decoquere* & *coquere* medicis est, ἀψιλεῖν. Inde *decocta*, τὸ ἀφειψηθὲν ὕδωρ. Theophrastus: πάντα τρόπον ἀγαθὸν, ἑφθὸν, ὀπτόν. Malè scriptum in exarato: *recoquens ferventer aceto.* Nam medicorum concoctiones clementer fiebant, sive, ut eleganter Poëtæ Latini loquuntur, *curtis ignibus.* Tales languentes sunt carbonum fossilium, ceteris ovantibus subtiliores: Quibus Græci opponunt ὀρθὴν φλόγα, & ὀρθίαν πυρὸς φόβην. Latini eam coctionem *lenibus ignibus* fieri dicunt, Varro, Plinius, Columella, cæteri. Cato capite CXIII. *Eo prunam lenem indito.* & alibi: *igni leni coquito.* Columella libro XII. *Leniique primùm igne, & tenuibus admo-*

admodùm lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendemus. Sic *leni pruna percoctus*, dixit Laberius. *Cautâ nare trahes.* De pulegii concoctione cum aceto nihil habet Dioscorides: Tantum illud, λειποθυμούσας τε ἀνακτᾶται σὺν ὄξει ταῖς ῥισὶ προσφερομένη. Alia remedia naribus attrahuntur, alia insufflantur: hæc fiunt operâ medicorum, cum flatú quædam inaguntur; illa verò usu ægrorum, quibus cautè providendum est, ne ejusmodi medicamenta caput purgantia imprudenter & impetuosius ad cerebrum per nares attrahantur.

Seu visco lintea nexo Induces fronti: Libri variant, neque alibi magis quàm in hoc Poëta Medico. Avitus cum Stephano collatis: *Seu visco splenia nexo.* Barthius veram scripturam esse vix dubitat, quæ ab aliis adfertur: *visco splendentia nexo.* Quod ex *splenia* corruptum est, quomodo veteres membranas secuti, censemus legendum. Illud autem *lintea* à glossa est quæ τὰ *splenia*, lintea exposuit. *coronam* Plinius vocat libro XX. capite XIV. de pulegio: *Qua de causa dignior è pulegio corona vertigini quàm è rosis, cubiculis nostris pronunciata est. nam & capitis dolores imposita dicitur levare. quin & olfactú capita tueri contra frigorum æstusque injuriam, & ab siti traditur.* Quæ verba Sereni mentem exponunt. Etiam ad capitis dolorem emplastra quæ adhibentur, & vinciendo circumducuntur, *splenia* vocantur. Unde Martialis Rufum illum serviles notas occultantem, ὅτι καθαρῶς ἐλεύθερον, uti spleniis ait, libro secundo, XXIX. Epigramm.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges

Plinius de oculis cruore suffusis: *Superimponi oportet splenium, è melle decoctum.* Dioscorides de visco, libro III. cap. CIII. ἐπινυκτίδας τε ἐν σπληνίῳ ἰᾶται.

Ex omuibus cephaleæ remediis paratiſſimum erat ſplenium ſeu linteum capiti obductum; quod & experientia probat, & alii produnt. Athenæus libro XV. ἐδίδοσαν οὖν βοηθημάτων τοῖς ἐν τῷ πότῳ τὴν κεφαλὴν ἐπιθλιβεῖσαν. ὁ δὲ δεσμὸς ἐξ αὐτῶν [illegible]ώτατος. *Inducere fronti*, eſt circumducere vinciendo frontem, quod *faſciare* vocabant recentiores medicorum filii. Plinius Valerianus libro I. cap. LVI. *chartam puram deſuper pones*, & *ſtrictè faſciabis*. Gariopontus lib. II. cap. XIII. *thorax molli lanâ opertus faſcietur, ut non ſolvatur*. Idem libro VIII. cap. III. *dehinc cum ceperit impetus febrium diminui, fovemus oleo dulci & calido aures, & ex eo oleo aliquid ibi infundimus, nec faſciamus lanâ foramina aurium*.

Seu tritæ gramina menthæ] Dioſcorides libro tertio, cap. XLI. περὶ ἡδυόσμου ἡμέρου. Κεφαλαλγίας παρηγορεῖ ἐπιτεθὲν τῷ μετώπῳ. *Tritæ gramina menthæ*, quod diſtinguantur à menthaſtro. Viri doctiſſimi perperam de contritâ menthâ exponunt.

Aut hedera ex oleo decocta vetuſto.] Editio Moliniana, curante Gryphio, legit, *colata vetuſto*. Dioſcorides περὶ κισσοῦ, ſimpliciter habet, σὺν ἐλαίῳ ἰᾶται. Nec fruſtaneum eſt illud *vetuſto*. nam τὸ παλαιὸν θερμαντικώτερον καὶ διαφορητικώτερον, ut de oleo communiter Græci medici tradunt. Quod etiam in vino præſcribendo obſervarunt. Unde apud Galenum: πάντα τ' ἄλλα γηρᾷ τῷ χρόνῳ πλὴν οἴνου. *Ex oleo decocta*, id eſt, cum oleo. Hoc infrà notabimus. Marcellus: *quod ſi dolore medium caput findi videbitur, hederam contunde, ac ſuccum ejus oleo roſaceo miſce, & cum linteolo mundo fronti inducito; tempora quoque ex eo & nares perunge: quod ſi gravior dolor fuerit, etiam cerebro ſuperfunde*.

Profuit & cochleis frontem tractare minutis.] *Tractare*, perducere. Infra:

Contritis prodeſt cochleis perducere frontem.

Pli-

Plinius. XXIX. cap. VI. *Capitis doloribus remedio sunt cochlearum, quæ nudæ inveniuntur nondum peractæ, ablata capita; ex his lapidea duritia exempta (est autem calculi latitudine) quæ alligantur & minutæ fronti illinuntur tritæ.* quæ verba τὸ *tractare* satis exponunt. Inde *tractatrix*, fœmina quæ ad fricanda membra conducebatur. Glossæ veteres Latinæ: *Tractatrix*, fricatrix. Martialis lib. III. Epigramm. LXXXII.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Lampridius Heliogab. *In conviviis exoletos maximè juxtà se ponebat, eorumque attrectatione & tactu præcipuè gaudebat.* Auctor quidam ex Clearcho: *Cum lascivientis divitis luxus libidini vota sua præcingit, recumbentis pedes calamistratus comatulus excipit: & in aliorum conspectú pedes, & ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat.* Veteres enim isti mollicelli & delicatuli ad fricanda membra in conviviis mares & fœminas adhibebant, qui artificio quodam membra vel perducerent, vel contrectarent. *Tractare* igitur est *perducere*, vel, ut alibi loquitur, *tangere corpus*, Phthiriasi arcendæ.

Vel nitro ac sale permistis, acidoque liquore
Laxatis (ut sint simul allia) tangere corpus.

Alibi *fovere* vocat.

Sic pavidum corpus dextrâ parcente foveto.

Si nocuit cerebro violentia Solis aperto.] *Cerebrum* pro capite, notante Barthio: Passim habes apud Marcellum.

Sanavit: prosunt & amica papavera somno.] Papavera soporifera sunt, & somnum conciliantia. Vide Avicennam II. Can. cap. LXIII. Unde noctem papavere caput cinctam, Poëtæ finxêrunt.

Si prius in lento madefacta coquantur olivo.] Nihil hic mutandum, neque *terantur*, cum Anton. Molinio reponendum, neque *labefacta* cum cæteris. Sed in

in avito libro: *Quàm prius in lento madefacta coquantur olivo.* Quod explicari posset, *quin prius*, aut, *si prius.* ἢ πρὶν, pro πρινή Atticum est & Ausonium: Aristophanes:

ἢ πρίν γε τῶν μυττωτὸν ὑμῖν ἐγχέαι.

Plautus Trinummo:

Quia ergo adhoc genus hominum duravi, quam prius
Me ad plures toleravi.

id est, *quin prius* me ad plures toleravi. *Lentum olivum* est, rhodoleum, ut ante me notavit ex Dioscoride Pictorius.

HEMICRANIO MEDENDO.

Portio si capitis morbo tentetur acuto.] Viri doctissimi malè cum Mundella πόλον exponunt, illam capitis portionem. Pollux de capite & ejus partibus: καλεῖται δὲ τὸ σύμπαν, πόλος, κρανίον, καὶ κόγχος παρὰ Λυκόφρονι.

Τυπεὶς σκεπάρνῳ κόγχον ἀνθίτῃ μέσον.

Ubi πόλος est tota capitis rotunditas. Hesychius: πόλος, κύκλος καὶ τύπος κορυφῆς κυκλοειδής. *Testam* hodiè vocamus ab eadem ratione & testæ formâ. *Granam* pro capite dixerunt antiqui, & *migranam* morbum capitis, qui modo dextram, modo sinistram capitis partem occupat, & ad suturam usque protenditur. Ea enim doloris interstitium est. Glossæ: *migrana*, morbus hemicraneús. Per circuitus plerunque revertitur vel quotidianos, vel tertianos; ac quibusdam extra calvariam, quibusdam in profundo capitis, plurimis circa temporum musculos, vel altius etiam consistit. Græcis est ἡμίκρανα, & ἡμικρανία. Inde lemma: HEMICRANIO MEDENDO.

Allia diversam | lana contecta per aurem] Quæ *diversa* sit auris, exponit Marcellus capite II. *succum* de

de allio in eam aurem, ex cujus parte dolor hemicranii fuerit, infundes.

Allia vel ternis piperis terna addita granis] Hoc ex medicinâ superstitiosâ veterum, quibus impar numerus ad curandum auspicatus censebatur, præscribitur. Marcellus eodem remedio: *novem grana piperis in vino optimo teres, & ex eo frontem & tempora inlines in ea parte capitis quæ de hemicrania dolebit.* Alibi Serenus:

Allia tum septem numero, septemque lupinos
Cretaceam dabis in testam. ———

Et sic passim ille, cæterique medici. Aëtius libro. II. cap. XIII. ubi de cancris calculo purgando adhibendis, ita scriptum reliquit: ἄλλο καρκίνους γ', ἢ ε', ἢ ζ' μόνον ἄζυγας, καῦε ὑπ' ὀστράκου ζῶντας. Ubi perperam est Cornarius, qui ἄζυγας, minus, ἀζεύκτους sive μονάζοντας convertit. Palladius eandem superstitionem præscribit in suppositione ovorum, libro I. cap. XXVII. *Supponenda sunt his semper ova numero impari, lunâ crescente à decima usque in quintam decimam.* Marcellus capite primo: *Baccæ lauri impari numero contritæ, fronti impositæ prosunt.* Plinius Valerianus lib. I. cap. II. *Baccæ quoque lauri impari numero in oleo contritæ capiti instillantur.* libro III. cap. II. *muscæ impari numero infricantur.* Ad furunculos *novem cum septem raphanis* utendum præcipit libro II. cap. XL. Alia alii. Cæterum *allia* vetus Glossularius in Samonicum exponit, *tria capita alliorum.* Sic Arnobius lib. IV. *capita ceparum*, sive *cepitia* dixit. Non autem per *allia*, solum capita intelligenda; sed partes illæ capitum, in quas pelliculis detractis allia diffringuntur. Hoc ex præcepto medicorum est observandum. Græcis & Græcensibus, quibus omnia in exprimendo sunt laxiora, hæ capitum portiones diversimodè vocantur. Galenus sæpissimè πυρῆνας appellat; alii σκελίδας sive

nucleos

Digitized by Google

nucleos alliorum. Omne enim medium antiqui *nucleum* vocarunt. Dioscorides alibi ῥᾶγας, Aëtius ὄνυχας, sive ungues exposuit. Hippocrates ἄγλιθας & δαιπδας. Inde in Glossis Medicorum: ἄγλιθες, τὰ μόρια τῆ σκορόδε τῆ κεφαλῆς Eandem expositionem habes apud Galenum in Glossis Hippocraticis.

Trita lines: certam dabit hæc tibi cura salutem.] In avito meo libro scriptum fuit:

Prima lines: cartam dabit hæc tibi cura salutem.

Prima ἀντὶ primò, πρῶτα, Poëticum & Græcanicum.

Calaber: Πρῶτα μὲν ἐν νευμίῃ βελεμὸν κατέπεφνε λέοντα.

Orpheus: Πρῶτα μὲν εἶδα βίην ἡρακλῆος θείοιο.

Æschylus: Οἱ πρῶτα μὲν βλέποντες, ἔβλεπον μάτην.

Nihil tamen immutandum. *Cura* verbum est ἰατρικὸν Glossæ Latinæ: *Cura*, medicina: Mart. Victorinus in Cic. *medici officium curarè est, sed quia nulli & incantatione & ligamentis curant; curare, inquit, sed appositè ad sanitatem. Curator*, medicus. Gratius: *Illa gravis labes est, cura est altior illis.* Adrevaldus, vetus Scriptor, de translatione Benedicti, cap. VI. *Itaque miro modo cœperunt se nervi diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum, sanguinis inundatione humectari. Atque ita, Deo volente, accepto robore lætus super constitit, & curatori suo magnis vocibus benedixit.* Vide legem XI. §. penult. D. ad Exhibendum.

PORRIGINI DEPELLENDÆ.

CUm caput immensâ pexum porrigine ningit.] *Ninguit*, avitus, ἀρχαϊκῶς. Ennius:

Annuuit sese mecum decernere ferro,
Interea toto non secius æquore ninguit.

Talis porrigo Græcis est πιτύρισμα. Arcadius Grammaticus: ἄχνη τὸ τῆ κεφαλῆς πιτύρισμα. Celsus: *Porrigo*

rigo autem est, ubi inter pilos, quædam quasi squamulæ surgunt, eæque à cute resolvuntur, & interdum madent, interdum siccæ sunt. Vulgò malè lectum: *eæque acutæ resolvuntur.* Glossæ: *squama,* τὸ ῥύπτης ἀπόπλυμα, νίτρωμα κεφαλῆς. Per νίτρωμα κεφαλῆς intelligit, porriginem: nam porriginosi etiam squamosi. Cum enim caput pectitur ac distringitur, squamulæ illæ à cute resolvuntur & decidunt. Etiam πιτυρίασιν appellant. Glossæ: *porrigo,* πιτύρισμα, πιτυρίασις. Nam πίτυρον furfur est: Unde & πιτυρώδης ὑπόστασις, & πιτυρίδες ἐλαῖαι apud Athenæum. Unde & Lucilius inconditum discribere voluit,

Tristem & corruptum scabie & porrigine plenum.

Copia farris uti frendentibus edita saxis.] Barthius cum manuscripto avito: *frangentibus eruta saxis.* Utrumque non malè legitur, sed illud plurium librorum scripturæ convenientius. Duæ etiam rationes molendi sunt: una, cum suspensa mola fruges *frangimus*, ut in polenta crassiuscula: altera, cum molæ non suspenduntur, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, quod *frendere* veteres vocarunt, ut illud *frangere*. Lucretius libro I.

——— fruges quoque sæpe minutas,
Robore cum saxi franguntur.

Virgilius libro I. Æneidos:

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Et I. Georg.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Palladius libro I. cap. XLII. *Si aquæ copia est, fusura balnearum debent pristina suscipere; ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* Malo tamen ἀρχαϊκώτερον, *fredentibus edita saxis. Frendere fruges,* est τὸ ἐρείκειν. Pacurius Antiopa:

Fruges frendeo solus ac sicco robore.

Fren-

Frendere fabam, & *fressa faba*, ἐρεγμός. ejus centies Marcellus & alii medicorum meminêre. Attius Troadibus: *Saxo fruges frendam*, σιτοποιήσω. Transtulit ex illo Euripidis:

Τεύξεις μὲ προσθήσουσιν ἢ θυρῶν λάτρειν
Κλῇδας φυλάσσειν, τὴν τεκοῦσαν Ἕκτορα.
Ἢ σιτοποιεῖν, κἀν πέδῳ κοίτας ἔχειν.

Inde *defrensa* in vet. Glossario exponitur, ἄρουρα θερισθεῖσα, quasi fracta seges, & *defrens*, ἄρουρα, θερισμός. Inde *nefrendes*, pueri, qui per ætatem adhuc dentibus frangere non possunt, sive, ut Serenus habet, *quos dentis origo fatigat*. Inde est: *nefrende fritinni*, pro ὦ νωδὲ ψιθύριζε. Inde *senex nefrendis*, ὦ νωδός, qui dentibus frendere vel frangere non potest. Livius Andronicus de puero fritinniente:

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Ex Græco Homeri:

Παῖδα γὰρ ἀνδρὸς ἑῆος ἐνὶ μεγάροις ἀτιτάλλω.

Hanc poterit maluæ radix decocta levare.] Sic Dioscorides περὶ μαλάχης. ἰχῶρας καὶ πίτυρα ἰᾶται. Ubi notabis πίτυρα vocari, quæ πιτύρισμα & πιτυρίασις. Sic etiam Latini *furfures* & *porriginem*, pro eodem affectu sæpe ponunt. Plinius de scylla herba: *discutit & foliis strumas, quadrinis diebus soluta: Furfures capitis & ulcera manantia, illita ex oleo cocta.* Aliter hoc capite Serenus:

Furfuribusque novis durum miscebis acetum.

Quæ verba hic malè interpretantur, ut ingruente vitio porriginis, id est, furfuribus novis accrescentibus, aceto prævalido sive duro curetur affectus. Marcellus capite IV. *Prodest cedrià tantum ungere caput, vel allio trito, & aceto, & nitro. Farina fœniculi ex vino capiti inducta porrigines expurgat: Furfures quoque idem præstant. si caput inde assidue in balneo luatur.* mens est illius versus:

Quin

Digitized by Google

Quin etiam furfur misto medicatur aceto.
Aut tu fœniculum nitrumque, & sulphura vira Contere.] Mendosè scriptus avitus:
Aut tu fœniculum, vitrumque & solphora viva.
Celsus de porrigine & ejus curatione, libro VI. cap. II. *Caput sæpe radendum est, dein id supèr adjuvandum aliquibus ex leviter reprimentibus, quale est nitrum cum aceto, vel ladanum cum myrteo vino, vel myrobalanum cum vino.* Marcellus cap. IV. *Nitrum alumini admixtum prurigines capitis tollit, si inde frequenter fricetur & lavetur.* Ubi veteri libro *porrigines* pro *prurigines* scriptum invenio. Eandem nitro vim ceteri medici adscribunt. In plerisque lotionibus vel affectibus depellendis utebantur. Athanasius in Sermone de virginitate, ὅταν νίψης τὸ πρόσωπόν σου, νίψη, ταῖς δύο χερσὶν. οὐδὲ μὴ βάλης πόαν οὐδὲ νίτρον, οὐδὲ τὰ ὅμοια τούτοις. Quo loco perperam est vir doctus, qui νίπτρον pro νίτρον, aut λουτρὸν putat legendum. Scriptum est ab Athanasio λίτρον. λίτρον pro νίτρον dicebant Attici: undè malè λουτρὸν fecere correctores. In Sereno tamen *solphora viva*, est ab antiquâ manu. *Solphora* pro sulphura, ut *folgora* pro fulgura, & alia in membranis. Marcellus ubi supra: *Ad porrigines detergendas, rutæ fasciculum & sulphur vivum cum vino vetere simul decoque, & caput ex eo in balneo lava. ante tamen aqua tepida, sicut est consuetudinis, elue.* Sulphura viva, sunt ἄπυρα. Dioscorides: Θεῖον δὲ ἄριστον ἡγητέον, τὸ ἄπυρον καὶ λαμπυρίζον τῇ χρόᾳ. Glossæ medicæ: τιμάπυρον (lego θεῖον. ἄπυρον) *sulphur vivum.* De nitro idem consentit: πιών καὶ τοὺς καθ' ὅλον τὸ σῶμα κνησμοὺς σὺν νίτρῳ σμηχόμενον.

Contere: deinde caput permistis ablue cunctis.] Sic libri meliores. Stephano collatus: *deinde caput permistis obline cunctis.* Marcellus: *& caput ex eo in balneo lava.*

Furfuribusve novis durum miscebis acetum.] *Durum acetum*, quod acidissimum & acerrimum est, ut explicat libro XVII. cap. XVIII. adverſ. Turnebus. Immo *durum*, τὸ εὔτονον καὶ τὸ δριμύ. Alibi *prævalidum* vocat, τὸ εὔζωον ὄξος, τὸ δριμύ.

Est qui prævalidum nitro ſale miſcet acetum.

Alibi *ferum*:

Durum acetum, ut *durum vinum*, τὸ αὐστηρὸν καὶ εὔτονον.

Cumque his Lenæi durum potare fluentum.

Blando & molli vino opponitur. Nam & *durum* eſt, quod potui non eſt idoneum nec maturum, σκληρόν. Græci venuſtè ψαφαρὸν appellant, ſive ψαθυρόν. optimi Scriptores transferunt ad alia liquida: ψαθυρὸν ὕδωρ, & maris aquam ψαθυρὰν dici invenias apud Ariſtotelem & Theophraſtum: Sic ψαθυρὸν ὄξος, τὸ εὔτονον καὶ τὸ δριμύ. ψαθυρὸν *vinum*, ſubleſtum & quodvis εὐτελὲς vinum. Suidas: ὀξύτης, κηκίς. Lege, ὀξίνης, κηκίς. ὀξίνης eſt vappa, κηκίς, galla atramentaria. Inde *gallam* antiqui pro atro & aſpero vino: Lucilius:

Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventri
Farre aceroſo, oleo decumano, pane coëgit
Cumano.

Ut varios crines tali des unguine puros.] Eleganter *varios*. ſic *varius*, eſt porriginoſus. Gloſſæ: *varius*, ſquamoſus. Eo ſenſu *ſquama*, νίτρωμα κεφαλῆς. Gloſſæ ſuprà laudatæ: *ſquama*, ὁ ῥύπος ἀπόπλυμα, νίτρωμα κεφαλῆς. *Unguen* pro unguento, notum & antiquum. cap. XIII.

Efficiuntque ſuo præclaros unguine viſus.

XLII.

Unguine quo gliſcens deponit flamma furorem.

Cato de R. R. capite de enchyto: *Enchytum ſic facito, uti globulos, niſi calicem pertuſum cavum habeat. ita in unguen caldum fundito.* Vulgò mendoſè lectum: *ita in unguem caldum fundito.*

Et

Digitized by Google

Et prodest cedro demissus ab arbore succus.] Libri mendosi:

Et prodest cerebro, demissus ab arbore succus.

Corruptissimè: præscribit enim τὴ δύναμιν τῆς κεδρίας. Alibi PHTHIRIASI ARCENDÆ:

Aut lachrymis hederæ, aut succo perducere cedri. Marcellus: *prodest cedria tantùm ungere caput.* cedria, κεδρία Græcorum, de quâ Dioscorides: φθεῖράς τε καὶ κόνιδας φθείρει περιχριόμενον. Alibi: *cedri de cortice succus.*

Succum vocat, quem alii *picem*, alii *sanguinem*, ἔαρ κέδρου. Sic ἔαρ vel εἶαρ ἐλαίης, *olivæ sanguinem* dixit Nicander:

——— ἢ ὀρχάδος εἶαρ ἐλαίης.

Et Callimachus:

Πολλάκι δ' ἐκ λύχνου πῖον ἔλειξεν ἔαρ.

Nemesianus:

Nam dum Pallas amat turgentes sanguine baccas.

Desinet interea glomerari farrea nubes] Non *ferrea*, quod præter mentem forsan à Stephano fuit excusum:

Copia farris uti frendentibus edita saxis.

Ἀλήματα Græci vocant ista farra, vel ψαιστὰ, hoc est, fruges ἐψαισμένας. Et propriè *glomerari* nubes illa dicitur, quod propriè de nubibus usurpant auctores. Sic Macrobius *aquam, obsitam globis nubium*, dixit libro VII. Saturnal.

Cessabitque gravis crebræ porriginis imber.] *hymber* avitus, & antiquiores libri. Sic suprà:

Spongia cum tepidis annexa liquoribus hymbris.

hymber, ut *holera*, & alias ἀρχαϊκῶς scribi solita. Infra: *Aut viridis coctorum holerum potabitur unda.*

CAPILLO TINGENDO.

ET nigrum crinem fuco ſimulare doloſo.] Collatus mihi liber avitus habuit exaratum : *fuſco ſimulare doloſo.* quam ſcripturam ſi plures confirmaverint, auſim hîc aliquid Sereno agnoſcere. *Fuſco ſimulare doloſo*, quaſi fuſci crines doloſi nigris ingenuis ſive inaffectatis opponantur. Ad oram libri : *ſucco ſimulare doloſo.* Sed quorſum invertenda bona lectio, *fuco ſimulare doloſo?* cum & *fucus* ſuccus ſit, quo capilli tinguntur & colorantur. Illud autem *ſuccus* gloſſam olet, quæ τῷ *fuco*, ſuccum expoſuit. Pigmentum, quo capilli colorantur, optimis gloſſis eſt *fucus*. *Fucus*, χρῶμα, de omnibus coloribus dicitur, ut Græcis φῦκος. φῦκος φοινίοσαν Nicandro :

Ἠέπι δὴ καὶ φοινίοσον καταβάλλεο φῦκος.

Aliæ Gloſſæ : *Fucus*, χρῶμα, καλλίχροιον. καλλίχροιον enim color venuſtus. Color ille non in crinibus ſolum dicebatur, ſed in aliis quoque rebus pulchris. Veteres autem pharmaco utebantur ad cœlandam capitis nivem. Ariſtophanes Concionantibus?

Οὐδ' ἂν εἰ τὸ φάρμακον
Ἐφῦσ' ἔτυχες ᾧ Λισικράτης μελαίνεται.

Idem Equitibus, de adulatore quodam regi ſuo canos evellente :

Ἐγὼ δὲ τὰς πολιάς γέ σου κλέγων, νέον ποιήσω.

Plura paſſim occurrunt in Græcorum epigrammatis. De cupreſſi foliis, quæ trita capillum ex aceto tingunt, eadem habes apud Dioſcoridem : σὺν ὄξει λειωθέντα, τρίχας βάπτει. cap. CIII. libri I.

Vel frons lentiſci, vel triſtia poma ſabuci.] Hunc verſum ignorat liber avitus. Videtur tamen genuinus : Plinius lib. XXIII. cap. II. *Fece aceti, addito lentiſ-*

lentiſcino oleo illitum unâ nocte rufari capillum. Melius ad Sereni mentem Dioſcorides περὶ χαμαιάκτης. *Poma ſabuci*, ſunt acini vel baccæ ſambuci, de quibus Plinius lib. XXIV. cap. VIII. *Acini ejus infirmiores quàm reliqua tingunt capillum.*

Lumbrici quoque terreſtres miſcentur olivo.] Serenus lumbricos eo nomine diſtinguit à lumbricis & tineis humanis. Sic alibi:

Lumbricis terræ turgentes unge corymbos.

Græco more, qui ἔντερα γῆς appellant. Marcellus eo remedio: *Vermium terrenorum cinis oleo adjectus, quo uti fœminæ in pectendo ſolent, capillos prohibet ſenectute mutari.* Adde Plinium lib. XXX. cap. XIV.

Et juvenem præſtant redivivo flore capillum.] Sic infrà:

Et gaudet rapto nudari flore pilorum.

Flos capilli, id eſt, eximius honor, ut alibi loquitur.

Seu ſalamandra potens, nulliſque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Flos de pilis & capillis eleganter, ut venuſtis aliis. ἥβης χρύσεον ἄνθος apud Nonnum. *Flos juvenilis* apud Claudianum barba, non omnis, at lanugine pubeſcens. Pindarus Olymp. πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν λάχναί νιν μέλαν χνόον ἔρεφον.

Reſina ex facili cera viſcoque coacta.] Hæc vera ſunt, certè affinia veteris aviti ſcripturæ, quæ forſan verior, immo veriſſima:

Reſina ex facta cera viſcoque coacta.

Eget autem interpretis: *Facta cera*, Græcis eſt κηρὸς τράκτος. Τράκτος κηρὸς, qui tracta ac tractatione eo devenit, ut albus evaſerit. De eo modo parandi ceram, habes apud Dioſcoridem libro II. περὶ κηροῦ. Gloſſæ medicæ: τρακτίζω, τὸ λευκαίνω καὶ κατασκευάζω. Aëtius alicubi τράκτον habet, & in eodem medicamento λευκὸν Ægineta. Optimæ Gloſſæ: κηρὸς τράκτος, λευκό-

λελυκότατος. Quod ipſum in multis aliis auctoribus eſt reſtituendum. Et perperam eſt Scaliger, qui in Priapeiis monuit reſcribendum:

Lætus Ariſtagoras natis bene villicus uvis
De cera facili dat tibi poma Deus.

Scriptum fuit: *de cera facta*, ἀπὸ κηροῦ τετηκότος. nihil ergo mutandum, quamvis *facilis* eſſet εὔθρυπτος & friabilis. Græci ſimpliciter *ceram* habent, ut in aliis medicamentis. Dioſcorides de viſco: δυνάμεις διαφορεῖν φύματα μιγεὶς ῥητίνῃ καὶ κηρῷ ἴσῳ. Sic ille Dioſcoridis locus eſt legendus. In quibuſdam editis malè concepta verba: μιγεὶς ἐηλίνῃ καὶ κηρωτῇ. Cæterum *reſina ex facta cera*, valet μετὰ κηροῦ τετηκότος. Sic *reſinam ex melle* præſcribebant, id eſt, cum melle, μετὰ μέλιτος, ut loquitur Dioſcorides. Nota hæc locutio Græcè & Latinè ſcientibus. Idem Dioſcorides de lapide Galactit. δεῖ δὲ τρίψαντας αὐτὸν ὕδατι ἀποτίθεσθαι ἐν πυξίδι μολυβδίνῃ. *oportet eum ex aqua tritum in pyxide plumbea reponere*. Cui parile & illud cujuſdam veteris: *ex jure heſterno panem atrum vorant*. ubi notat Donatus *ex* pro *cum* poſitum eſſe. Sic quod Græci dicunt, σὺν ὕδατι πινόμενος ὠφελεῖ, Latinè eſt, *ex aqua potus prodeſt*. Varro III. de R. R. *Pullis apponitur naſturtium ex aquâ in vas*. Homerus Od. XIX. χῆνες πυρὸν ἔδουσιν ἐξ ὕδατος. *Anſeres triticum ex aquâ comedunt*. Plinius: *imponuntur & ſpongiæ ipſæ epiphoris ex poſca, & ex aceto calido ad capitis dolores*. Nihil hâc locutione frequentius apud Plinium & Samonicum, omnibus paginis occurrit.

Ad rutilam ſpeciem nigros flaveſcere crines] Elegans loquendi genus, *ad rutilam ſpeciem flaveſcere*. Avienus:

Splendorem ubique quippe ineſſe fluctibus
Vitri ad nitorem.

Solinus: *honore & pretio ad ſmaragdos viret*. Par venuſtas

nuſtas in illis Græcanicis, ὑ᾽δὲν πρὸς τ̃ Διόνυσον, apud Strabonem libro VIII. Heliodorus II. ἐπῳσάδην δὴ τῦτο ὑ᾽δὲν, φασὶ πρὸς τ̃ Διόνυσον ἐπῳσκυκλήσας. Ariſtenætus libro I. Epiſt. octava: ὑ᾽δὲν πρὸς ἔπος, ὑ᾽δὲν πρὸς τ̃ χορδήν, & ſimilia dixit. Macrobius II. Saturnal. cap. IX. *Is quondam cum incederet elaboratus ad ſpeciem.* Placuit viris doctiſſimis reſcribendum, *elaboratus ad ſpeculum.* nobis nihil videtur mutandum: *elaboratus ad ſpeciem,* & inſtar ſpecioſi comptus & ornatus. Cyprianus: *neque enim fas eſt virgini ad ſpeciem ſuæ formæ comi:* ad venuſtatem: Inde *ſpecioſus*, ἰνειδὴς, formoſus. Cæterum *flaveſcere* rectum eſt, *ferveſcere*, quod in avito ſcriptum, haud æquè placet. Flavi enim crines præ cæteris affectabantur. Capitolinus in Vero: *dicitur tantam habuiſſe curam capillorum flavorum, ut & auri ramenta inſpergeret, quo magis coma illuminata flaveſceret.* Quod ipſum de Commodo Lampridius quoque teſtatur, & Herodianus κόμην τῇ φύσει, ξανθὴ καὶ οὔλην. Cato: *mulieres noſtræ cinere capillum ungitabant, ut rutilus eſſet crinis.* Qui locus egregiè Sereno conducit. Eundem morem Hollandiæ Boreali hodiè ſolennem, nemo Belgarum eſt qui ignorat. Fiebat autem id genus cineris ex fecibus vini in cinerem redactis. Antiqui *fæculam* vocabant, condimentum acrimoniam habens adinſtar lixivii ſarmentorum: φέκλη à Græcis appellatur. Gloſſæ medicæ: σφέκλη, *fæcula*, malè: lego φέκλη. Trallianus libro XVI. φέκλην exponit τρυγίαν οἴνυ κεκαυμένην. Ea Suidæ, τρὺξ κεκαυμένη ſicut & Dioſcoridi: λεπρὺς ὄνυχας ἐκβάλλει σὺν ῥητίνῃ, καὶ τρίχας ξανθίζει μετὰ χοινίκ ἐλαίου ὅλην συγχρισθεῖσα. Cæterum *rutilus* color eſt, ad aureum flaveſcens. *Rutilare*, eſt ab eodem aureo colore: Aurei enim rutili, unde & mulieres valdè rufæ, *rutilæ* dictæ, ut habes apud Varronem. Cratinus Hipponicum quendam vocavit σκυτικόν, quod πυῤῥὸς eſſet, ſive rutilus. Nam *burros* elegan-

eleganter, homines ex potione rubentes antiqui dicebant. Quod eodem fere ſenſu etiamnum retinet Hiſpanica lingua: Burraceos enim vocant ebrioſos; & vas vinarium, burraceam. Gloſſarium: *burrum*, πυῤῥὸν, ξανθόν. Critici πυῤῥὸν *rutilum* vocant, ξανθὸν *ruſſeum*. *Rutilum* igitur idem quod aureum; & *crines ad rutilam ſpeciem*, ad auream flaveſcentes. Auctor Lyrici perperam Gallo adſcripti:

Pande puella, pande capillulos
Flavos, lucentes ut aurum nitidum.

Lucanus libro X.

——— *tam flavos gerit altera crineis,*
Ut nullas Cæſar Rheni ſe dicat in arvis
Tam rutilas vidiſſe comas.

Catullus:

In flavo ſæpe hoſpite ſuſpirantem.

Theocritus:

Ξανθοκόμος Πτολεμαῖος ἐπιστάμενος δόρυ πάλλειν.

Et alibi: Ξανθότριχι πὰρ Μενελάῳ.

Callimachus:

Καὶ κεφαλὴ ξανθὴν ἄλοχον Δηϊονίδαο.

Orpheus: ——— ἀπὸ κρατὸς γὰρ
Ἔθειραι πυρσαῖς ἀκτίνεσσ' ἐναλίγκιοι Ἠώρηντο.

Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.] *Fingi*, non ex imaginatione matris, ſed ſuperſtitioſâ credulitate vanorum medicorum. Sic rectè codices; neque placet, quod in membranis invenimus;

Dicuntur fœtu nigrantia lumina muri.

Quod eruditorum judicio relinquo. Non diſſimulabo tamen meam conjecturam; ſi diis placeret, effingi poſſe: *Dicuntur fœtu nigrantia lumina inuri.* *Inuri foetu*, antiquè, pro *foetui*, dictum. Sed nigredo luminum non dicitur rectè *fœtui inuri*, quemadmodum *notam inuri* dicimus, & alia. Quod cum gloſſatorem effugeret, ad avitum codicem, *tingi*

Digitized by Google

tingi asseverat, quod fortassis ex illo *fingi* malè lecto variam ei lectionem exhibuit. Nec enim, ut capilli fuco vel unguento *tingi* dicuntur; eodem modo lumina fœtus dici possunt *nigrantia tingi*, nisi vehementer loquendi naturam invertamus. Nihil autem pro illo *fingi* refingendum vel mutandum censemus. Plinius lib. XXX. cap. XV. *ovis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis tradunt. Si verò oculi nigri nascentium placeant, soricem prægnanti edendum.*

PHTHIRIASI ARCENDÆ.

Volens abrumpere somnos, Sensibus & monitis vigiles incendere curas] Aviti codicis, aliorumque Stephano collatorum γραφὴ fuit:

Sensibus admonitis vigilesque incendere curas.

Utroque modo sanus sensus est & apertus. Scio tamen doctis quibusdam legi: *vigilesque inducere curas*: quod longè vilius est isto vulgato.

Sed quis non paveat Pherecy dis fata tragoedi.] *Tragœdum* vocat, quem Plutarchus & alii θεολόγον, qui φθειριάσας obiit. Diogenes Laërtius initio Epigrammatis de Pherecyde;

Τὸν κλεινὸν Φερεκύδην,
Ὃν τίκτε ποτὲ Σύρος,
Ἐς φθεῖρας λόγος ἐστὶν
Ἀλλάξαι τὸ πρὶν εἶδος.

Ipse Pherecydes epistolâ ad Thaletem, apud eundem Laërtium: φθειρῶν ἔβρυον πᾶς, καί με εἶχεν ἠπίαλος. Cui sententiæ accedunt Plutarchus in Sylla, Pausanias in Atticis, Aristoteles lib. V. extremo histor. animal. & Ælianus libro IV. cap. XVIII. Plinius libro VII. cap. LI. *morborum verò tam infinita est multitudo, ut Pherecydes Syrius copia serpentium ex cor-*

pore ejus erumpente exspiraverit. Ubi notabis *serpentes* vocari pediculos, quod & aliis solenne scriptoribus. Sic libro III. cap. III. Diodorus Siculus de Acridophagorum morbo sermonem habens, modò φθεῖρας appellat, modò ἕρπητα. Vide Apulejum lib. II. Floridorum. Poëtæ insuper omnia animalcula, quæ machinantur hominibus exitium, vocavêre *serpentes.*

Qui nimio sudore fluens animalia tetra Eduxit.] Apulejus I. Miles. *Sudore frigido miser perfluo.* Non igitur ex aliis legendum: *qui nimio sudore ruens.* Fluere & perfluere sudore, est καταβαίνειν. De Christo Lucas cap. XXII. v. XLIV. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. Sed *sudor* hic valdè propriè sumitur. Virgil. III. Georg. extremo: *Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor Membra sequebatur.* ubi Servius: *immundus sudor*, morbus pedicularis, qui est φθειρίασις.

Sylla quoque infœlix tali languore peresus Corruit] Inter eos, qui phthiriasi memorabiles obierunt, & Sylla dictator fuit plurimis in locis à Plinio laudatus. Libro. VII. cap. XLIII. *unus hominum ad hoc ævi, Felicis sibi cognomen asseruit L. Sylla, civili nempe sanguine ac patris oppugnatione adoptatus. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset? ô prava interpretatio & futuro tempore infelix! Non minoris sortis tunc fuère pereuntes, quorum miseremur hodie, cum Syllam nemo non oderit? Age, non exitus vitæ ejus omnium proscriptorum ab illo, calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, & supplicia sibi gignente.* Sensus idem est, ad quem Serenus alludit, Syllam nempe felicissimum, dum viveret, hominum, ante obitum pediculari morbo correptum, felicitatis suæ & in proscriptos crudelitatis acerbas pœnas dedisse culpamque tam fœdâ morte luisse. Nam *Felix* erat L.

Syllæ

Syllæ cogmentum, ἐπαφρόδιτος, cujus Auctor libelli de Fortunâ Romanorum, hanc habet rationem: πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης ἢ νῦξ κατὰ Μένανδρον. ἀλλὰ τύχη μεθέστηκεν. Eam veriorem habeo, quod Ἀφροδίτην, quam in talorum jactu veteres invocabant, ut secundaret τοὺς βόλους, habuerit propitiam ac faventem. Nam felicissimus jactus dicebatur Ἀφροδίτη. Inde Sylla dictus ἐπαφρόδιτος, ὁ εὔβολος καὶ εὐτυχής. Idem Plinius de tineis humanis quas cum pediculis confundit, libro XI. capite XXXIII. *nascuntur in carne exanimi & viventium quoque hominum capillo, quâ fœditate & Sylla dictator, & Alcman ex clarissimis Græciæ Poëtis obiêre.* Confer libri XXV. caput XIII. quo remedia contra vermes recenset. *Phthiriasi, quâ Sylla dictator consumptus est.* ex quibus satis apparet, eum tineas cum pediculis confudisse.

Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi.] Medicamenta ad phthiriasin tollendam, alia intus sumuntur, ut sinapi & calamenthum montanum; alia exterius adhibentur, ut nitrum, uva taminia, cætera. *Sinapi* laudatur à Paulo Ægineta, à quo Serenus desumsit.

Laxatis (ut sint simul allia tangere corpus.] Placet illud *tangere*, quamvis *frangere corpus* exhibeat liber avitus. *t* & *f* in illo charactere Longobardo sæpe confunduntur; sic *lumina tingi* ad oram libri, pro *fingi*, & alia. Nec enim *frangere corpus* dicimus ut *frangere capillum* sive *comam*: Seneca pater I. controvers. *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias. vocem extenuare, &c. nostrornm adolescentium specimen est.* Sic *comam in gradus frangere*, dixit Quintilianus libro I. cap. VI. Est autem *tangere corpus*, externis medicamentis, qualia hîc præscribuntur, perducere corpus, sive tractare & fovere. Supra:

——— *cochleis frontem tractare minutis.*

Aut lacrymis hederæ, aut succo perducere cedri.]

Per-

Digitized by Google

Perfundere cedri, ad oram libri Moliniani. *Lachrymas* vocat, quæ Græci τὰ δάκρυα. Dioſcorides περὶ κισσοῦ. τὸ δὲ δάκρυον αὐτοῦ ψιλοῖ τρίχας. καὶ κτείνει φθεῖρας ἐπαλειφόμενον. Sic alibi *fici lacrymam* dixit.

Sylveſtris fici lacrymam prodeſſe loquuntur.

Ariſtoteles IX. de hiſtor. animal. φέρουσι δὲ τ' ἄλλων ἀνθέων καὶ ἀπὸ τῶν δένδρων τὰ δάκρυα.

Unda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quicquid crebri defendit ſylva capilli.] Sic Græci medici de aqua marina tradunt, ſic idem Dioſcorides περὶ θαλασσίου ὕδατος. πρὸς τὰ κνιώματα ἐνιέμενον χλιαρὸν· καὶ πρὸς σπόφους θερμὸν, ψώρας τε καὶ κνησμῶν καὶ λειχήνων καὶ κονίδων, καὶ μαστῶν σπαργώντων καταίντλημα. *Sylva capilli*, id eſt, capilli denſi & ſylveſcentes: Sic Græci dicunt ὑλήματα τῶν τριχῶν. Infra:

Avulſamque vetat rurſus procreſcere ſylvam.

Arnobius libro II. *capillos imminuant ſylveſcentium crinium velleribus involutos.* Quemadmodum autem *crines ſylveſcere*; ſic *ſylvæ* dicuntur τριχοφυεῖν. Inde *comantes* & *crinitæ*, paſſim apud Poëtas. Prudentius II. in Symmach.

——— *ſeges crinitis fluctuat agris.*

Anacreon od. XXII.

Παρὰ τὴν σκιὴν, Βαθύλλε,
Κάθισον. Καλὸν τὸ δένδρον
Ἁπαλὰς σείει δὲ χαίτας
Μαλακωτάτῳ κλαδίσκῳ.

PRURIGINI, PAPULIS, AC SCABIEL ARCENDIS.

ILlotus ſudor, vel copia nobilis eſcæ
Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.] Duas cauſſas habet, quæ ſcabiem membris ad ferre ſoleant, qua-

quarum prima ex incuria & negligentia correptorum eſt; cum nec ſordes corporis abluuntur, neque interiora veſtimenta mutantur: quæ ſordes retentæ in ſuperficie acrimoniam acquirunt, & poſtmodum ſcabiem procreant: altera vilioris eſt ſucci, cum prava nimirum edulia hunc affectum inducunt, ut ſunt omnia ſalſa, carnes & piſces: item amara & acria qualia cæpe, allia, porra; quibus tenuioris fortunæ veſci ſolent homines, & ob id ſæpius hoc affectu corripi. Prior autem Sereni verſus mendoſus eſt, ut ex interpretatione conſtat: Non enim tam abundantia lautioris edulii, quàm vilioris quotidianus uſus hanc ſcabiem generare ſolet. Legendum autem meliorum librorum auctoritate:

Illotus ſudor, vel copia inutilis eſcæ.

Alii legunt diſſuadente metro:

Illotus ſudor & inopia nobilis eſcæ,

Sic recentiores medicorum filii laudant hunc verſiculum; quibus, utrum ars melica cadat, an recto ſtet talo, parum intereſt. Habuit liber avitus, ut reſtituimus: quam ſcripturam, ut ἀγρίων, etiam adnotârat in medicorum principum editione vir optimus Henr. Stephanus. Etiam vulgatam, ut ineptam cupidè ſummutarat Turnebus Adverſ. lib. XVII. capite XVIII. Cæterum eam copiam viliorum & inutilium alimentorum, cauſam etiam ſcabiei teſtatur Galenus lib. I. de Differ. Febr. & in Principio libri de cibis boni & mali ſucci.

Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.] Venuſtè dixit *aſperat*: quod verbum proprie ſcabioſorum. Celſus de ſcabie & ejus curatione: *quo aſperior eſt, quoque prurit magis, eô difficilius tollitur: Itaque eam, quæ talis eſt, ἀγρίαν, id eſt, feram, Græci adpellant.* Idem de Papulis: *Papularum duo genera ſunt. Altera eſt, in quâ per minimas puſtulas cutis exaſperatur & rubet.*

Digitized by Google

rubet. Inde *ſcabrum* etiam pro aſpero dixêre Latini; quoniam quæ ſcabioſa, cutem habent aſperam. Celſus alibi: *Aut ubi ſcabri ungues ſunt, circum aperiri debent, quà corpus contingunt.* Ita *pectus illuvie ſcabrum*, Cicero & alii dixêre.

Ergo lutum prodeſt membris adhibere fricatis
Quod facit ex aſino ſiccatus corporis humor.] Probo lectionem à Turnebo reſtitutam: *ſaccatus corporis humor.* Lucretius, lib. IV.

Pueri ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta
Somno divincti credunt extollere veſtem
Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant.

Sic idem præclarè reſtituit, & Giſanio ceteriſque doctis eam lectionem confirmavit. Legebatur antea *ſaccutum*, *ſacratum* & *ſiccatum*, ut doctiſſimi viri adnotarunt. Sed *ſaccatum humorem corporis* venuſtè Poëta dixit, de urina per corpus quaſi ſacco percolata. Veſica autem, ut ſaccus vinarius vinum, lotium tranſmittit. Græci σακκίζειν vocant cum ita vina percolantur. Inde *Cœcuba ſaccari* dixit Martialis de vinis, quæ defæcantur, liquantur & colo tranſmittuntur. Sic autem legendum in Martiale, qui & alibi ad eundum ſenſum:

Turbida ſolicito transmittere cæcuba ſacco.

Ita enim vinum purius & defæcatius reddebatur. Sed ſacco veteres uſi ſunt, ut vires vini caſtigarentur & frangerentur, quo plus vini, inquit Plinius, caperetur. Id vini genus *ſaccatum* appellabant, ut habes apud Scribonium Largum. Nec tamen per ſaccum vina ea tantum de cauſſa percolabant, ſed ètiam ut peregrinis ſaporibus in ſaccum additis vina tum odore, tum ſapore ſuaviora fierent. Cujus conditura meminit Conſtantinus Cæſar cap. ultimo, libri VI. de Agricultura. Ad eam Græci ſua ϖεϱιπόματα, αἰψίνθια, & κονδῖτα referebant. Cæterum & Arnobius libro

libro II. eandem à Lucretio vocem mutuavit: *inter stercoris hos utres, & saccati obscœnissimas serias.* In Samonico, liber avitus & veteres aliis collati manifestè eandem conservant: *saccatus corporis humor.* Est autem lutum asini lotio factum ut idem Turnebus exponit. quod in Sereno notum est, *humorem* pro urina poni. Infra: *Si cui vesicæ tardus cunctabitur humor.* De asinino lotio, nihil tale, quod sciam, apud medicos. Sed lepras humano curatas apud Æginetam lego; canino apud Dioscoridem. Videant eruditiores: neque nostrum est ubique tantas inquirere lites.

Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis.] *Cinerem stercoris ex porco*, pro, *cinerem ex stercore porci*, usitatissimâ hypallage. Serenus paulò ante eadem loquendi formâ: *Quod facit ex asino saccatus corporis humor.* pro, *ex asini corpore.* Nemesianus:

Huic parilem submitte marem ———

Pro, *hanc parili submitte mari.* Tibullus: *Taurus arat Cilicas.* pro, *Cilices arant Taurum.* & alia supponendi genera.

Sic pavidum corpus dextrâ parcente foveto.] Hæc satis clara & concinna sunt. Turnebus tamen:

Mox scabidum corpus dextra parente foveto.

Quod nollem tam libentissimè arripuisset. *Pavidum* enim est scabidum, & *pavor* ipsa scabies. Glossæ medicæ: *Pavor*, prurigo: *pavidus*, squamosus. Squamosi sunt ipsi scabiosi, qui squamas habent, quas Græci λεπίδας & πιτυρώδη σώματα vocarunt, fricatis membris à cute discedentes. Nec illud *parcente* mutandum fuisset, quod venustè dictum de leviore manu fricatrice. Scriptum erat in avito:

Sic pavidum corpus dextrâ pendente foveto.

quod ferri posset, ni de meliore receptâ constaret. Sidonius: *pendens rota sulcat inanem Æthera.*

Con-

Digitized by Google

Convenit hinc tepido lita tradere corpora soli.] Insolationem, quæ ex medicorum præscripto fiebat, acquirendæ corporis siccitati, Græci ἡλίωσιν & ἡλιοκαίαν appellarunt. Cicero ad Atticum libro XII. ep. sextâ: *Pro isto asso Sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem unctumque repetemus.* Adpellat *Solem unctum*, quo calefiebant lita vel illita corpora: quæ fuit ξηραλοιφὴ veterum: huic opponit *assum*, quem Plato in Phædro ἥλιον καθαρὸν vocat; etsi eo loci Plato Soli puro non unctum Solem opponit, verum τῆς συμμιγοῦς σκιᾶς balneorum.

Ferventes papulas oleo curato liquenti] Scribe: *sapyro curato liquenti.* Sic libri meliores & antiquioris notæ, quibus adde Dioscoridem περὶ σαπφείρου λίθου. *Sapyrus, saphyrus*, pro *sapphirus*, ex idiotismo illorum temporum.

Aut acido Baccho miscebis farra lupini.] *Farra*, farinam vocat, τὸ ἄλευρον Dioscorides. Καθαίρει δὲ ἄλευρον χρῶτα καὶ πελιώματα, καὶ φλεγμονὰς πραΰνει σὺν ἀλφίτῳ καὶ ὕδατι. σὺν ὄξει δὲ ἰσχιάδας παρηγορεῖ καὶ φύματα. Sic mendosè legitur apud Dioscoridem περὶ θέρμου. Scribe: καὶ φλεγμονὰς πραΰνει σὺν ἀλφίτῳ καὶ ὄξει. σὺν ὕδατι δὲ ἰσχιάδας παρηγορεῖ καὶ φύματα. In vilioribus etiam editis Samonici corruptè *Braccho*, pro *Baccho* exhibetur.

Atque hinc in calido percurres membra lavacro.] *Calido lavacro*, caldario. Tres ædes seu cellæ fuerunt balneorum; τὸ λακωνικὸν, caldarium, Dioni πυριατήριον, Senecæ *sudatorium*, in quo sicco calore sudorem eliciebant: altera *tepidarium*, tertia *frigidarium*. Plinius ep. *Post solem frigida lavabatur.* Vide Cornel. Celsum. *Percurri membra* dicuntur, quæ leviter fovendo & fricando siccantur. In balneis σάβανον erat, pannus aut velamentum, quo corpora ad siccandos balnei madores circumdabantur. In colloquiis vett.

Σάβανα

Σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον. Hesychius & Phavorinus σάγανον vocant, & exponunt σκέπασμα καὶ περιβόλαιον. Eo enim operiebantur corpora & percurrebantur, priusquam siccarentur. Alio modo cutem spissabant, quo densam ac duram redderent. Galenus libro VI. ὑγιεινῶν. Κἄπειτα τρίψει σκληρᾷ μὴ πολλῇ πλῆθος τὸ δέρμα, πυκνὸν καὶ σκληρὸν ἐργάζεσθαι.

Pruritus autem salsos leVat humor aceti.] *LeVat*, id est, permulcet. In Græco Dioscoridis, κνησμοὺς παρηγορεῖ. *humor aceti*, ut *hymber sanguinis*, & alia Sereno communicantissima.

SiVe maris rabidi sudor, cochleæque minutæ] *Sudor maris rabidi*, alcionium est, sive spuma marina. Glossæ medicæ: *sudor*, ὕδωρ. *Sudor marinus*, θαλάττιον ὕδωρ Lucretius libro II.

Sed quod amara Vides eadem, quæ fluVida constant,
Sudor uti maris est; minimè id mirabile cuiquam.

Idem libro IV.

Scilicet & grandes Viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur; teriturque thalassina Vestis
Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat:

Malè quidam librorum: *SiVe maris aVidi sudor*, frigente metro. maria *rabire* dicuntur, cum fervent & æstibus attolluntur. πλαγιάζειν id Græci vocant. Herodotus: πλαγιαζούσαις δὲ ταῖς νηυσὶ συνέβη τὰς πλεῦνας καταδῦναι. malè Suidas πλαγιαζούσαις interpretatur ἐν πέλαγει πλεούσαις. Versu sequente *libido* doctè pro morbo vel affectu ponitur. Sic tralatè νόσον pro *libidine*, Græci usurpant. Epicharmus apud Plutarchum: οὐ φιλάνθρωπος σύ γ' ἐσσί, ἔχεις νόσον, χαίρεις διδούς. Sic *libidinem garriendi*, id est, morbum dixit Arnobius. Seneca I. de Benef. *morbo suo morem gessit.*

PHRENESI ET CAPITI PURGANDO.

Ex vitio cerebri phrenesis furiosa movetur.] Incurrit hic vitium prosodiacum Serenus, quod obiter contra originem & veterum Poëtarum morem est observandum: Juvenalis:

——— *cum sit manifesta phrenesis.*

Alii versum hunc legunt: *Ex vitio cerebri phrenesis fumosa movetur.* Medici phrenesin definiunt, inflammationem membranarum cerebri, quæ febrem acutam & mentis perturbationem inducit. Illud cerebri vitium est causa phrenitidis. Exinde febris acuta inducitur, & perpetua deliria succedunt. Unde quidam definiunt perpetuum cum febre acuta delirium. Serenus: *Sive calens febris jactatos exedit artus.* Quo versu pathognomonicum phrenitidis signum, febrem habet acutam: nunquam enim phreniticis abest febris, nec quidem sine febre, phrenesis definiri potest. Nam quæ sine febre, non φρενῖτις est, sed μανία. Celsus libro III. cap XVIII. *insania, quæ est acuta, & in febre est, Græci φρενῖτιν appellant.* Lego: *quæ & acuta in febre est.* non enim tam phrenitis acuta est, & in febre; quàm in febre acuta.

Sive meri gustus, seu frigoris efficit aura.] Inter externas phrenitidis causas etiam numerantur vini meracioris liberior usus, ut & aquarum vitalium, quæ maximè producunt phrenitides. Unde apud Moscovitas & affines gentes, complures eo morbo laborant, propter earum aquarum usum: & aromatum. Omnia sub *meri gustu* Serenus est complexus: sed *gestus* habuit avitus.

Illotis etiam lanis suffire memento.] *Illotis*, id est, succi-

ſuccidis, nondum præparatis. Gloſſæ: *ſuccida*, ἄπλυτος. Melius ἔρια οἰσυπηρὰ vocavit Dioſcorides.

Ceritum ſæpe horrendi medicantur odores,

Atque ideo ſanos etiam curarier eſt par.] Divertit liber avitus ad hunc modum:

Cerritum ſæpe horrendi medicantur olores,

Atque ideo inſanos etiam curarier eſt par.

Antiqui codices paſſim conveniunt, ut ad margines editorum ſuorum viri docti notarunt. Sed illud *olores*, an ἀπὸ παλαιᾶς χειρὸς; fallor aut fuit: Veteres enim *olorem* pro gravi *odore* dixerunt. Gloſſæ, *olor*, ποιὰ ὀσμή. Scriptus Virgilius: *Aut ubi olor cœni gravis.* Vulgo: *odor cœni gravis.* Quod in manuſcripto Sereno paſſim legitur, & hîc ſemel adnotamus. *Ceritum* etiam & *cerritum*, geminè veteres dixerunt. Nonius: *Cerriti & larvati malè ſani, aut Cereris ira & larvarum incurſione, animo vexati.* Quæ verba mirè faciunt ad tertiam lectionem Poëtæ medico reſtituendam: *Atque ideo inſanos.* Tres præſides furoris erant apud antiquos: *Ceres, Luna, Bacchus*: inde *Ceriti, Lunatici, Bacchi.* Inde *ceritos vocarunt* πάντας τοὺς πλῆνθας τὰ ὄργια. Gloſſæ: *Ceritus*, μανιόμενος. Aliæ *ceritus*, παρεμμανὴς, παρεμφάκλος. corruptè. repone παρέμφρακτος. Item *cereriti*, δημητριόληπτοι. Horatius II. Sat. III.

Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis

Abſolves hominem, & ſceleris damnabis eundem.

Poëtæ pro omni furioſo ſumunt, ut pro phrenetico Samonicus.

Purgatur cerebrum manſâ radice pyrethri.] *Pyrethri*, id eſt, δρῖμονίκ. Nam δρῖμόνιον, πύρεθρον. Gloſſæ medicæ Græcanicæ: αἰλιμόνιον (lego δρῖμόνιον) πύρεθρον. Dioſcorides ad mentem Sereni libro III. capite LXXXVI. περὶ πυρέθρου. ἄγει δὲ καὶ φλέγμα διαμασσώμενον. Perperam igitur viliores editi: *denſa radice pyrethri.*

Digitized by Google

rethri. quæ lectio nullatenus poteſt defendi. Marcellus cap. I. *Sed ſi per os magis detrahere humoris materiam viſum fuerit, quia non ſine tormento quodam per nares ea diducitur; ſuadebimus pyrethri radiculam commanducare,* &c. & infrà eodem capite: *radix pyrethri in ſole diu commanducata, etiam pituitam expellit.* cap. V. *Radix pyrethri in ſole commanducata, pituitam & humorem capitis patefacto ore depromit.* igitur *manſa radice* legendum, hoc eſt, maſticatâ.

Ungitur & ſuccis, dederit quos parva ſabucus] ἡ χαμαιάκτη. Ejus folia olerum more coquuntur, ad pituitam bilemque phreneticis detrahendam. Medici diſtinguunt inter ἀκτὴν & χαμαιακτὴν: inde tutò dixit, *parva ſabucus.*

Expreſſuſque hederæ mandatur naribus humor.] Marcellus cap. I. *Per nares ergo purgatur caput, iis rebus infuſis per cornu quod Græcè ῥινεγχύτης vocatur, hederæ ſucco per ſe, vel betæ ſucco cum exiguo flore æris, vel cyclaminis ſucco mixto lacte, aut aquâ pari menſura.* Idem de ruta: *prodeſt & ruta cum oleo irino & exiguo aceto cocta & tepidè infuſa capiti* id eſt, attractionis viâ infuſa.

Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis: ergo Cura magis prodeſt venturis obvia morbis.] Non ſemper pars affecta ſanari poteſt, in omnibus ferè morbis: juvat igitur προγνωστικὸν eſſe medicum, & curam adhibere morbis nondum ſupervenientibus: Sic infra, VIPERINIS EXCLUDENDIS:

Dicendum. & quæ ſit præcox medicina timenti,
Cautio namque poteſt diros prævertere morſus.

notum eſt illud Perſianum *venienti occurrite morbo.* quod indubiè Serenus alluſit. Notandum autem *dolorem* hic, pro parte corporis affectâ poni, quæ dolet. Plinius Valerianus lib. I. cap. II. *alligas anethum, ut de horto ſublatum eſt, decoquitur, ex oleo & ſucco ejus*

Digitized by Google

ejus dolor ungitur. Idem libro III. cap. XIV. *Utiliter quoque dolor perungitur, in quâ sunt decocta ranarum intestina.*

DE FLUORE CAPILLORUM, ET MACULIS CAPITIS TOLLENDIS.

Scriptum fuit in avito lemmate: FLUORI CAPILLORUM, ET MACULIS CAPITIS TOLLENDIS. Et statim:

Depluit expulsus morbo latitante capillus. malè *depluit*, pro *defluit*, in iis schedis exaratum. *Fluere* quippe capilli dicuntur, qui post morbum vel ante decidunt. Celsus lib. VI. cap. I. *de capillis loquor, qui post morbum ferè fluunt* Ammianus Marcel. XXX. *ad imbecillitatem firmandam fluentium capillorum.* Sic *fluor*, ἡ ῥύσις τῶν τριχῶν. Alexand. Trallian. lib. I. cap. II. Non autem tam latitante quam præcedente morbo capilli defluunt. hoc indicium est medicum, προγνωστικὸν. ὀνειροκριτικὸν habes apud Astrampsychum:

Τρίχας πεσεῖν δὲ, κίνδυνον φέρει μέγαν.

Si rarò lavitur, seu vis epota veneni,

Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,]

Stephanus *eluitur*, pro *lavitur*, ad oram editionis suæ notavit. Barthius: *seu rarò lavitur*, putat legendum. Sed rectè inter has causas venenum epotum, & Salamandræ contactum habet Serenus. *Vim* autem *veneni*, pro veneno dixit. Dioscorid. τῆς φθοροποιοῦ δυνάμεως καταδρακαμούσης τῶν σωμάτων. Sic *vis frigoris*, capite sequenti: *Sæpe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus.* Sic *vis animi, vis morbi*, & alia apud Lucretium: quod antiquum est & Poëticum. Putabant

etiam salamandræ contactu, defluere capillos. τὰ δ' ἔπειτα αὐτῆς ψιλεῖ τὰς τρίχας, Schol. Nicandri. *Dejecit.* est optima lectio, sed *decussit* in libro chirographo: ut apud Petronium Lycas: *quæ Salamandra supercilia tua excussit*, ubi perperam *exussit*, quidam substituêre. Plinius lib. X. cap. LXVII. *Salamandræ sanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Credebant autem salamandram non posse uri: inde dixit ex erroneum opinione, *nullisque obnoxia flammis.* Nicander Theriacis:

Ἤ, τε καὶ ἀσβέστοιο δι' ἐκ πυρὸς οἶμον ἔχουσα
Ἔσσυται ἀκμήνος καὶ ἀνώδυνος ———

Sed aliter Galenus libro περὶ κρασ. γ. ὡς γὰρ καὶ ἡ σαλαμάνδρα μέχρι μὲν τινὸς ὑπὸ πυρὸς οὐδὲν πάσχει. Κατακαίεται δ' ἐν ἐπὶ πλείονι χρόνῳ τῷ πυρὶ πλησιάσασα. Idem περὶ σιωδήσεως φαρμακ. τῶν κατὰ ὄπους δὲ. Σαλαμάνδρας κεκαυμένης τὴν σποδόν. Vide Dioscoridem libro II. cap. LXVII. περὶ σαλαμάνδρας.

Eximium capitis tactu dejecit honorem.] *honorem* venustè vocat, quem Græci κόσμον. Clemens Alexandrinus: τρίχες κόσμος τοῦ σώματος. Inde calvi vocabantur ἄκοσμοι, teste Polluce lib. II. Leucippus lib. VIII. συσύληται τῆς κεφαλῆς τὸ κάλλος τῆς κουρᾶς ὀρθῶς. Simile quid legitur apud Achillem Tatium lib. VIII. Synesius in Hymn.

Ἐπέρᾳ δ' ἄγαλμα χαίτη
Καταειμένη πενόντων.

Ambrosius hexaëm. VI. *Tolle arboribus comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccescit.* Eumolpus apud Petronium de calvo: *scito jam capitis periisse partem.* Hinc radi & tonderi, apud plerasque gentes erat ignominiosum. Philostratus de vita Apollonii libro VII. ἄρχεται τὰ ἐν

θίνδε

ἕνεκε τῆς εἰς τὸν ἄνδρα ὕβρεως, γυναῖκα τε ἀποκείρας αὐτὸν, &c Inde κουρὰ & ἀπόκαρσις pœnæ nomine adhibebantur ad ignominiam. Harmenopulus lib. VI. §. XIIX. τυπτόμενος καὶ κουρευόμενος ἐξορίζεσθαι. Vide eundem tit. V. §. XIIX. tit. VII. §. X. & alibi passim.

Nonnunquam variant maculæ, parvisque parumper Orbibus aspersum ducit nova vulnera tempus.] Non interdicto de vi erant ejiciendi gemini versus, qui in membranis comparuerunt, avitis & Barthianis:

Seu calamistra rudeis inflectere docta capillos,
Radices sterili faciunt torpere calore.

Quos cur τῆς κοινῆς esse negemus, nec ego video. Capilli enim, qui continuo usu in cincinnos crispantur, facilè, adurente calamistro corrumpuntur; aut radicitus, deficiente justo nutrimento, soluti defluunt & expelluntur. Malè fecerunt curatores editionum, qui pro spuriis eosdem amoverunt.

Parvisve parumper Orbibus aspersum ducit nova vulnera tempus.] Eleganter *ophiasin* describit hisce versibus, inquit Mercurialis, in quibus frustrà Barthius est, qui *ducit*, *haurit* exponit. Non enim *hauriri* vulnera dicuntur, quæ tractu temporis *ducuntur*. *ducere vulnus*, ut *ducere colorem* apud Virgilium:

Duceret apricis in collibus uva colorem.

Scribonius Largus cap. LV. *Salamandra quibus data est, lingua exasperatur, corpus invalidum fit. præter hoc torpet rigoribus quibusdam, & livoribus quasi maculis variatur.*

Viperea pellis cinerem his addito rebus.] Haud scio, unde ad oram editionum, *cinerem his apponito rebus*: nisi fortè à conjectura Pithæi: qui versum sic ferè pedibus suis restituit & reconcinnavit. Scribunt membranarum auctoritate:

Viperea cinerem pellis his addito rebus.

Sic nos in avitis, Barthius in Basiliensibus invenit,

 nec

nec quicquam mutandum censet, quamvis adhuc aures radat tenebrionum, neglecta vulgatæ prosodiæ ratio. Etiam illi falluntur, qui reponunt, *his addito morbis*; quod glossam olet veterem scripturam exponentem. Fortè restituendum: *his aspergito rebus*. Marcellus: *ex pelle viperarum cinerem facies, atque assiduè illic asperges. emendabis sine morâ vitium.*

Roborease pilas ursino jungito sevo.] Summo jure doctissimi viri conqueruntur supra tot ac tam variis in hoc opusculo lectionibus; quarum ne tertia pars quidem in Celso, ceterisque medicis anterioribus occurrit. Plenæ vitiorum membranæ, plenæ differentiarum schedæ, pro describentium diversorum, aut imperitorum judiciis intrusæ, prout arripiebantur. Quod hoc tandem loco liber avitus facit, ut magis sciam. Scriptum in illo:

Roboreosve pilos cervino jungito cornu.

Ex quo refingi posset, si ludibriis danda venia, sensus in diversum inclinans, quàm medici præscripto conducit. Ab antiquis etiam cornu cervinum roborandis capillis adhibebatur: Sæpius ejus Marcellus & alii meminerunt, qui scobem de cornu cervino præscribunt. *Roboreos* autem, pro *roborandos* est positum; ut intelligantur pili cervino cornu confirmandi, ne subindè defluant. Hoc ridiculum foret, sed arbitrario jure ex Orpheo defendam, cujus hi versus exstant, ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΤΟΣ ΕΛΑΦΟΥ.

Αἰεί τοι θήσει λασίην ἐπὶ κράατι λάχνην,
Εἰ καὶ ψεδνοκόμης ἔοις. ἐκ γάρ μιν ἐλαίῳ
Τριβόμενον τρίβοις κροτάφους πάνθ' ἤματα σοῖο,
Αἱ δὲ νέαι περὶ βρέγμα τεὸν τρίχες ἀνθήσουσι.

Hanc expositionem meam cum prius approbassem; didici tandem eâ desistere, & meliorum medicorum consilio sapere. Dioscorides libro II. cap. XCIV. ubi vim adipum exponit, ursinum raptos vitio alope-

ciæ

ciæ capillos restituere tradit: *τὸ ἄρκειον δοκεῖ τριχοφυὲς εἶναι ἀλωπεκιῶν, καὶ χιμετλιῶσιν ἁρμόζει.* Hæc mens est verborum Sereni, cum eo versu pilas roboreas ursino sevo jungendas præscribit, & eo medicamento cutem capitis permulcendam & ungendam saluberrimè præcipit. Marcellus cap. VI. *roboris pilulæ, quæ gallas simulant, cum adipe ursina tritæ emendant alopecias. Pilas*, non *pilos*, *τὰ σφαιρία* vocat Græcorum, alibi *pilulas*.

Aut platani pilulas acri infundemus aceto.

Glossæ: *pila, pilula, καταπότιον* Glossæ medicæ: *σφαιρίον, orbiculus, globulus, pilula.* Sic *σφαιρία τῶν κορύμβων*, acini corymborum vocantur, *σφαιρία τῆς κυπαρίσσου*, globuli cupressi, & simpliciter *σφαιρίας* eadem notione apud Dioscoridem.

Vel testudineo mala permulceto cruore.] Supra PORRIGINI DEPELLENDÆ:

Prodest & tarda demptus testudine sanguis.

Mala autem venustè dicuntur; partes affectæ & infectæ. Unde & pro morbo contagioso sumunt Poëtæ:

——— *clausæve malum fecère paludes.*

HUMORIBUS, ET PERFRICTIONIBUS MEDENDIS.

ALii libri variant in lemmate, leguntque: DE CONGELATIONE, AUT FRIGORI SEDANDO.

Sæpe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus,] *Vis frigoris*, ut *vis veneni*; quod suprà notamus. Infrà UVÆ MEDENDÆ.

Ægrescunt teneræ fauces, cum frigoris atri
Vis subiit ———

& alibi: *muris violentia cæci.* Agellius lib. XIX. cap. IV.

Digitized by Google

IV. ubi de timore algifico (quem Aristoteles vocat ψυχροποιητικὴν) *qui vi frigoris sanguinem caldoremque omnem de summâ corporis cute cogat penitus & depellat.* Latini *frigus* & *rigorem* appellant, vitio corporis contractum catarrhum, aut humorem vitiosum. Sic Samonicus, sic Plinius Valerianus, libro I. cap. I. *Caput si flegmate aut frigoribus plenum fuerit, aut catarrhus obtinuerit; mittas in ollam rudem sapæ sextarios duos.* Est ergo nomen medicum peculiaris capitis affectus.

Si ranam ex oleo decoxeris, abiice carnem, Membra fove:] *Ex oleo*, ἐν ἐλαίῳ, pro *in*, vel *cum oleo*. Plinius Valerianus libro III. cap. VI. *Ranæ nihilominus in trivio decoquentur cum oleo, carnibusque earum projectis, oleo utantur ad unctionem.*

Urticæ semen, perceptaque frigora vincit.] Nihil mutamus. Libri quidam, *præceptaque*. non etiam malè.

Et cervina potest mulcere medulla rigorem.] *medullam* vocat, quam Græci στέαρ ἐλάφειον, adipem cervinum. Infra:

Prodest cervinæ vehemens naturæ medullæ.

Dioscorides geminè dixit libro II. cap. XCI. στέαρ ἐλάφειον, καὶ μυελόν. Sic *medullam* pro cerebro dixerunt, de quo nos infra latius.

Proderit hoc potu: seu cassis ostrea testis
Usta dabit cinerem] Scribe libris adstipulantibus:

Proderit hoc fotu: seu cassis ostrea testis
Usta dabunt cinerem.

Non enim hîc fella ad potum, sed ad externum unguentum adhibentur. *Seu cassis ostrea testis:* *tectis* legit optimè liber avitus. Alibi Serenus:

Aut tres ex vino cochleas fervescere coges,
Cumque suis domibus franges.

cassa tecta sunt, τὰ κεραμίδων τυπώματα. Solinus appellat *reluvias conchyliorum.*

Decu-

Decutiet gelidum calefacto vertice virus.] Scriptus avitus & ora Stephani, *discutiet*: quodque & aliæ membranæ cognoscunt, quæ typis excusos præcesserant. *Virus* autem proprie est humor fluens. Gloss. Cyrilli. γονὴ ἀνθρώπου, *virus*. *Nonnullus liquidum sumit, mulsumque sinapi.*] Perperam: lege & distingue,

Nonnullus liquidum sumit mulsum, atque sinapi.

Marcellus Emp. cap. I. *Bene facit & sinapi, ex aceto tritum, sed non excastratum, gargarizare, trium cyathorum mensura, admixta mellis libra una: detrahit enim & hæc composito largiter pituitam.* cap. V. *mellis & sinapis triti æqualiter mixtæ partes tepefiunt, & humor multus è capite post longam gargarizationem deducitur.*

Atque palato agitat retinensque vomensque.] Quis mutilum versum pedibus suis restituet? Liber avitus:

Atque palato agitat retinensque id, idque vomensque.

Pictorianus: *pariter retinensque vomensque.* Alii Stephano inspecti, *retinensque idque vomensque*: & sanè alterutrum *id* redundat. Ejusmodi versus, in quibus extra poësin peccari solet, quandoque solennes sunt apud hunc Samonicum.

oleive liquore Perfundunt calido cerebrum nasique latebras.] κοινῶς πᾶν ἔλαιον δυσπερίψυκτον φυλάσσον τὸ σῶμα, ἑτοιμότερον πρὸς τὰς ἐνεργείας ποιεῖν. Dioscorides.

Curandi modus hic & suavis & utilis idem est.] Ex præcepto medicorum dixit, quorum est curare cito, tuto, & jucundè.

ELEPHANTIASI PROPELLENDÆ.

Est elephas morbus tristi quoque nomine dirus.] Sic habet consensus omnium ferè librorum: Scriptum tamen fuit in nostro avito:

Est

Eſt elephas morbus triſtis, quoque nomine dirus, quæ lectio cum multo venuſtior ſit, neſcio, cur non poſtliminio reſtituenda. Non ſolum elephas triſtis & horrendus morbus eſt, ſed ipſo quoque nomine ἐλέφαντος dirus & longè graviſſimus. Auctor definitionum medicarum, quæ Galeno tribuuntur, ita eum morbum deſcribit: ἐλέφας ἐστὶ πάθος, παχὺ τὸ δέρμα καὶ ἀνώμαλον παρασκευάζων, καὶ πελιδνὸν τὸ χρῶμα, καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν. ἀναβιβρώσκεται δὲ χειρῶν καὶ ποδῶν τὰ ἄκρα, ὃ ἰχῶρα ἀφίησι πελιδνὸν, ὃ δυσώδη. Sic non modo triſtis, ſed & moleſtiſſima eſt & turpiſſima elephantiaſis, *turpans infandis ora papillis.* Eum ſecutus eſt Avicenna, cum primo canone dixit eſſe affectiones, quæ cum morbi non ſint, ſed potius dedecora, morbis tamen annumerantur. Alii *elephantum*, ἐλέφαντα, alii ἐλεφαντίασιν appellarunt. Gloſſæ medicæ, ἐλέφας, ἢ ἐλεφαντίασις. Aliæ: *elephantiaſis*, ἐλεφαντία: A ſimilitudine nimirum illius animalis, ut Galenus in Hiatro teſtatur: τὸ γὰρ δέρμα τῶν ἐν τῷ πάθει τούτῳ κατεχομένων παχύτερόν τε καὶ σκληρότερόν ἐστι, ἐμφερέσαν ἔχον πρὸς τὸ τῶν ἐλεφάντων δέρμα, &c. Eodem modo verſus hic exhibetur apud Mahardum lib. II. epiſtola prima medicin. quo, ex avito libro eum reſtituimus.

Non ſolum turpans infandis ora papillis.] *Papillas* vocat, eas papulas quæ ſumma parte corporis elephantiaticis accidunt. Celſus libro III. de ejus curatione: *ſumma pars corporis crebras maculas, crebroſque tumores habet.* Gloſſæ: *papillæ: papulæ, puſtulæ.* medicæ: *papulæ*, ἐξανθήματα, ἐκβράσματα, ἐνθύματα. Quæ tamen raro Græcis confunduntur. *Tumores iſti*, qui in fronte apparent, ſimiles ſunt cuti flexili ſuperciliorum leonis. Exinde Archigenes λεοντίασιν, appellari ſcribit ἐλέφαντα, quemadmodum habet Aëtius.

Sed cita præcipitans funeſto fata veneno.] Non, *cito præcipitans*: quod ineptum eſt.

Huic

Huic erit adversus cedri de cortice succus] Discorides de cedria: ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας ἐκλειχομένη.

Nonnulli dixêre serum prodesse bibendo.] Quod multo potentissimum ad purgationes redditur. Idem περὶ ὀῤῥοῦ γάλακτος. δίδομεν δὲ ἐφ' ὧν δίχα δριμύτητος ἔκκρισιν βουλόμεθα ποιῆσαι, ὡς ἐπὶ μελαγχολικῶν, ἐπιληπτικῶν, λέπρας, ἐλεφαντιάσεως, καὶ ἐξανθημάτων τῶν περὶ ὅλον τὸ σῶμα.

Mentastri folium potu appositu que salubre est.] Nam ἧττον εἰς τὴν ἐν ὑγιείᾳ χρῆσιν εὔθετον. Mentham silvestrem ἄγριον ἡδύοσμον Græci vocant. Latini *mentastrum.* Plin. libro XIX. cap. VIII. *mentæ nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit, cum alioqui mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt.* Serenus autem τὴν βαλσαμίτην intelligit: ἥ τις ἐστὶν ὁ μακρόπιπερ ἄγριος ἡδύοσμος. Marcellus: *mentastri folia commanducata, vel contrita apposita elephantiosis medentur, cedro quoque tabes illa assiduè perunctа sanatur.* Obiter emendandæ sunt glossæ medicæ: βαλσαμίτης (malè: lego βαλσαμίτα) ὁ μακρόπιπερ ἄγριος ἡδύοσμος.

Spargere lacte bovis, varias sic ungere frontes.] *Varias* venustè adjunxit ob variantes maculas & tumores. Immo *varii* propriè dicebantur, qui in fronte disparebant. Cicero apud Quintilianum, in quendam Isauricum: *miror quid sit, quod pater tuus homo constantissimus, te nobis varium reliquit.* id est, maculis & papillis in facie distinctum. Inde παρδάλεις ex genere pantherarum, à maculis *variæ* vocabantur. Glossæ: *varia*, ποικίλη, πάρδαλις.

Cerussam, & chartam quam gens Ægyptia mittit: Tunde simul, misceque oleum [Malè viliores librorum, *Thure simul misceque oleum*; nullus hic usus est thuris, nulla medicina. *Cerussam* autem intellige ex præscripto medicorum, non ceterorum poëtarum. Antipater: ψιμμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντριβομένας. *Chartam Ægyptiam* vocat, quam alibi *Phariam*: Pictorius *herbam aqua-*

aquaticam exponit ex Galeno libro octavo simpl. cap. XXXIII. & Avicenna lib. II. cap. CCCCXLI. *Præterea Pharius caput emetire papyris.* Alibi *Niloticam.*

Tunde simul, misceque oleum quod flore rosarum Conditum est:] Falsi sunt, qui τ̀ ἀνθηρὸν, *florem rosarum* interpretantur. τὰ ἀνθηρὰ Græci medici subrubra vocant & cruenta. Inde ἀνθηρὰ πτύσματα dixit Hippocrates libro VI. τ̃ ἐπιδ. In omnibus antheris admiscebatur sandaracha, & alia metallica. Inde τὸ ἀνθηρὸν Hesychius τ̀ σανδαραχὴν interpretatur. Hoc obiter adnotandum adversus illos, qui cum Manardo ἀνθηρὸν ab eo, quod est ἄνθος ῥόδε, deducunt.

Line sic faciem, sic redde salutem.] Stephanus ad oram editionis suæ: *& sic redde salutem.* Iuvenalis:

Verberat, atque obiter faciem linit. ———

CUTIS ET FACIEI VITIIS PROPELLENDIS.

PRoderit & bulbus mellis dulcedine victus.] *Bolbus.* avitus, Græco more, pro *bulbus*. *Bulbi ex mulso*, ut alibi loquitur. Καθαίρεσι φακὸς ζωὼ μέλιτι ἢ ὄξει. Dioscorides περὶ βόλβε ἐδωδίμε. Est autem *lentigo*, φακός. Glossæ: *lentigo*, lenticula. Cyrillus, φακῶδης, *lentiginosus, sparso ore. Sparso ore.* cui facies est sparsa maculis velut lentium.

Crudave dulcacido miscebis rapa liquori.] Infra Serenus:

Dulcacidum, laticemque cumini semine junges.

dulcacidum, ut *salinacidum*; pro quo malè *salmacidum* defendunt imperiti talium literiones. Error ex conjugio literarum. Glossæ: *salmacidus*, ἁλμυρὸς, *salmacidum*, ἁλμυρὸν. Lege, *salinacidus*, & *salinacidum*,

Digitized by Google

cidum, ὀξάλμυρον. Sic *dulcacidum*, ὀξύγλυκον, in iisdem glossis exponitur. Eadem Græci medici de rapo silvestri rradunt.

Sepiolæ cineris ex ossibus omnia tollunt.] Dioscorides περὶ σηπίας. καὶν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀστράκῳ, ἄχεις οὗ τὸ πλακῶδις αὐτῶ ἀποσῆ, σμῆχει λεῖον ἀλφοὺς, πίτυρα, ὀδόντας, ἐφήλεις. Hæc sunt quæ *omnia* vocat noster Serenus. Viri doctissimî, nescio, ad quam interpretationem referunt. *tollunt*, etiam in calamo exarato scriptum: quod vulgo ad oram *sanant* legitur, glossam olet. Marcellus de maculis corporis abolendis: *oculos vel ova sepia in aqua solve, & cum melle permisce, atque inde maculas perfrica; citò abolebuntur.*

Horrebit si livor atrox, aut nigra cicatrix.] Fuit in avito codice:

Horrebit lævor ater, aut nigra cicatrix.

Forte scribendum: *horrebit si lævor atrox.* nam *lævor* idem qui *livor*. Glossæ: *lævor, tumor faciei.* Scriptum fuit in veteri Marcello: *ad tumorem sive lævorem de facie tollendum, herbam rhodiam ex aceto tritam in fine.* Iuvenalis Sat. IX.

Livida materno fervent adipata veneno.

Ubi Scholia legunt, *lævida*; & explicant *lubrica*: melius eruditissimi viri: *livida, perniciosa, mortifera sive pallida; id est, pallorem facientia. Atrox* autem in Sereno retinendum. Isidorus; *atrox, quod sit tetrus morbus.* Sic omnia livida & maculosa vocabant.

Rugarum sulcos lentisci mastiche tendens.] Id est, lentisci resina. Ex livore, cutis in plicas & quasi sulcos contrahitur, inde lentiscinam mastichen, ad ejus nitorem reconciliandum in illitiones faciei præscribit. Dioscorides περὶ ῥητίνης σχινίνης. μίγνυται καὶ σμήγμασιν ὀδόντων. καὶ ἐπιχρίσμασι προσώπου στιλβοποιοῦσι. Est autem *mastiche* lentisci lacryma, σχίνου. Idem Dioscorides: γεννᾶται δὲ καὶ ῥητίνη ἐξ αὐτῆς σχίνη καλουμένη, ὑπ' ἐνίων

Digitized by Google

ἐνίων ἡ μαστίχη. Gloſſæ medicæ, μαστίχη, ῥητίνης σχίνου. Nec ad illitiones faciei ſolum, ſed etiam dentitricia præſcribebant, ut adnotavimus: Inde Græcorum proverbium in venuſtulos & delicatulos: σχῖνον διατρώγειν. illis enim obiici ſolebat dentium cura & mundicina. Martialis VI. Ep. LXXIV.

Foditque tonſis ora laxa lentiſcis.

Infrà Serenus:

Lentiſcus myrtuſque emendant oris odorem.

Rugarum ſulcos lentiſci maſtiche tendens.] Cutis in fronte μετωπίδιον vocatur. ἐν ᾧ ἐν αὐτῷ γραμμαὶ ῥυτίδες καὶ ἀμαρυγαί. Unde *frontem rugis inarari*, paſſim Poëtæ dixerunt *Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.*

Si verò vitium eſt, quod ducit ab impete nomen,] Nam *impete* celeriter, & latè procedit, & impetit cutis partem unam poſt aliam. Sic *impetus pituitæ* Plinius vocat, quas alii *impetigines*. Gloſſæ medicæ: *impetus*, λειχὴν: *impetigo*, λειχὴν, λέπρα. *Impetigo* autem propriè quod impetus, & quicquid cum impete venit. Nam *impetigo* ab *impeto* (notabis ita ſcriptum in meo avito: *quod ducit ab impeto nomen*) ut *urigo* ab uro; *pendigo* è pendo: *coligo* à colo: nam *coliginem* pro domicilio, vel ædibus, quæ coluntur, dixére veteres. Inde *domicolium*, quod recentiores, *domicilium*. Tertulianus inſcriptione ſubterraneâ: CONSUL CONSILIO. MARS DUELLO. LARES COLIO POTENTES. Sic omnino legendum. Lares enim θεοὶ καλιάδιοι. legebatur ante viri magni reſtitutionem corruptiſſimè: LARES COMITIO POTENTES. Sed hoc obiter. *Impetigo* autem ab impeto, unde & *impetus*, & *impetix*. Feſtus, *impetix*, *impetigo*. ut *tumix* à tumeo, & alia. Græci medici vocant ἐπιφορὰν. nam ἐπιφορὰς appellant omnia ἐξανθήματα & φλεγμονὰς, quæ ſubito in cute oriuntur, & ebulliunt. Vehementes etiam fluxus, qui

cum

Digitized by Google

cum impetu feruntur; & precipuè quæ in oculos cadunt cum inflammatione, hoc nomine appellant. Latini autem *impetiginem* de lichene propriè dixerunt. Glossæ suprà laudatæ: *impetigo*, λιχὴν, λέπρα. impetigines sunt λιχηνώδεις ὄγκοι. *Lichen* autem minus malum est, quàm lepra aut scabies: quæ inter medicorum filii distinguunt. Prius matutina salivâ exteritur, cætera non ita sanantur. Ægineta ex versione doctissimi viri, libro VII. *Saliva hominum jejunorum maximè discussoriam & extersoriam vim habet: impetigines itaque puerorum illita exterit, & furunculos concoquit, si cum tritico manso imponatur.* Ubi notabis *mansum triticum*: ex madido pane, ut jure collyrico, illoto genis, non tantum vitia cuti detergebant, sed etiam splendorem conciliabant. Tertulianus de cultu mulierum: *ad mensuram neminem sibi adjicere posse, pronunciatum est. Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quasdam, sputorum umbilicos cervicibus adstruendo.* Collyridas vocat è fucco crassiore, unde *offas* etiam Juvenalis:

——— *coctæque siliginis offas*
Accipit, & madidæ facies dicetur an ulcus.

Ex pane enim siligineo id fiebat. Idem:

Et pressum in facie digitis expendere panem.

Suetonius Othone: *Quin faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse à primâ lanuguine, ne barbatus unquam esset.* *Sputum* autem Tertullianus vocat tenue corium, aut crustam, quæ ex illo tectorio inducebatur. Sic tenuis lamina, σιάλωμα, h. e. sputamentum, dicitur Polybio: nam σίαλον saliva, vel sputum.

Fœda fluunt curvi quæ purgamenta cameli,] Glossæ: *purgamentum*, ἀπόπατος. medicæ: *purgamenta*, *sordes animalium.* Columella libro I. *Sterquilinia duo sunt, unum, quod nova purgamenta recipiat, & in annum conservet; alterum verò, ex quo vetera vehantur.*

AURIUM VITIIS SUCCURRENDIS.

Fraxinea in flammis fundit quem talea succum.] In avitis schedis invenio scriptum :

Fraxinea in flammis tundit quem talia succum.

Alii librorum, monente Vossio libro II. de arte gramm. cap. XXXIX.

Fraxinea in flammis quæ fundit tilia succum.

Eleganter *tundi* succus ille dicitur, qui vi flammarum exprimitur. nihil tamen mutamus. *Talia* autem, pro *talea*, ut in Philoxeni glossario: *talia* κορμὸς, ῥίζα, σκυτάλη. Marcellus cap. IX. *Fraxini recentem surculum, id est, humore proprio adhuc madentem, ex una parte in foco pones, & quum per aliam partem succus ebulliet, suscipies eum diligenter, & oleo addito tepefactum auribus instillabis.*

Instilles, sive obscœnos ex virgine rores.] Hoc de caprina, taurina & canina urina scriptum reliquit Dioscorides, non item de virginali : περὶ οὔρων. idem tamen probat Marcellus hisce verbis: *Pueri investis urina recens auriculæ dolenti & ulcerosæ instillata, omni humore siccato, & dolorem tollit, & ulcera mira celeritate persanat. Obscœnos* autem *rores* poëtarum more pro urina dixit, ceterisque humoribus. Sic *rorem Bacchi*, pro vino: *pluvium*, pro aquâ periphrasticè dixit: HYDROPISI DEPELLENDÆ:

Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.

MAMMIS SANANDIS:

Præterea pluvio decocta papavera rore.

Hoc eodem capite:

Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

Sic

Sic *rorem lacrymarum* Ovidius, *sanguinis rorem* Lucanus dixêre. Horatius, *maris rorem*, pro aqua marina. Græcè δρόσος idem valet, unde ἐναλίαν δρόσον & κρηναίαν Euripides. E converso *roris lacrymas* dicebant, ut *rorem lacrymarum*: Achilles Tatius lib. VI. τὸ τῶν δακρύων πιαίνεται, τὸ δὲ μέλαν πορφύρεται, καὶ εἶναι ὅμοιον, τὸ μὲν ἴῳ, τὸ δὲ ναρκίσσῳ. Pervigilio Veneris:

Lacrymæ micant trementes de caduco pondere.

Aut succum ex folio dederit quem populus alba.] λεύκη. malè legit liber avitus, *dederit quem populus alta. Albam* dixit respectu τῆς αἰγείρου. Dioscorides περὶ λεύκης. ὠφελεῖ καὶ ὠταλγίας ὁ χυλὸς τῶν φύλλων χλιαρὸς ἐνσταζόμενος. Hæc & alia maximè distinguenda sunt in poëta medico.

Annosa rubros si legeris arbore vermes Ex oleo tere.] Quales vermes, aut ex quali arbore? Græci communiter arboris aut siccorum lignorum vermiculos, τερηδόνας appellant, Latini *teredines*. Isidorus libro XI. *teredonas Græci vocant lignorum vermes*, (*tignorum* in veteri libro scriptum) *eò quod terendo edant: Hos nos termitas dicimus. Ita enim apud Latinos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno cæsæ arbores gignunt.* Varia nomina ex arborum generibus aut aliis causis sunt sortiti in utraque linguâ. ejusmodi nomina sunt κὶς, σὴς, ἴξ, ψλὼ, κοῖλος, κερατοκόλαπτον: item *cossi*, *bytarus*, apud Plinium è M. Tullio, & *galbæ*, ut docemur isto loco. Celsus libro VI. *medicamentum est & rosæ, & radicum arundinum succus*, & *olerum*, (scribo, *olivum*) *in quo lumbrici cocti sunt, & humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali persici expressus.* Plinius XXIX. cap. ult. à quo Serenus descripsit. *ex arboribus rubri cum oleo triti exulceratis & ruptis auribus præclarè medentur.* Marcellus cap. IX. *bestiolæ multipedes quæ contractæ in globulos complicantur, in oleo excoctæ infusæque*

I 2 au-

auribus statim prosunt. & infrà: *vermes ex qualibet arbore rubri coloris contriti cum oleo, & infusi, dolores aurium sedant.*

Lumbricos terræ, sevumque ex ansere rauco] Marcellus: *Terreni vermes cum anseris adipe vel cum oleo decocti sine dubio medentur auribus purulentis.* Alibi: *terreni vermes cum adipe anseris decocti infunduntur auribus etiam ad jam deplorata vitia.*

Si jungas olidæ grave quod minxere capellæ] Dioscorides, ubi de urinis agit, caprinam etiam aurium doloribus instillatam mederi scribit. Sed eo remedio, quo fel taurinum conjungitur, non urinam sed lac caprinum fractis auribus & purulentis prodesse tradit. περὶ ταυρείας: πυῤῥοοῦντά τε ὦτα, καὶ τὰς ἐπ᾽ αὐτῶν ῥήξεις σὺν γάλακτι αἰγείῳ ἢ γυναικείῳ ἐνσταζομένη. Sed *grave* de lotio venustè dictum. Glossæ medicæ: *gravitas*, urina. *graveolentia*, οὖρον αἰγὸς. Marcellus eodem cum Sereno consilio: *adversus gravitatem audiendi, fel bubulum cum urina hirci auriculæ, quæ molestiam surdiginis patitur, instillabis, statimque subvenies.*

Si verò incautas animal penetraverit aures.] Quidam librorum non tam eleganter, *Si verò in patulas.. incautas* improvidas, nec præcaventes ad ea, quæ irrepserunt animalcula, avertenda. Marcellus: *si aliquod animal aurem intraverit, præcipuum remedium est, murinum fel aceto dilutum instillare.* Diversa remedia præscribuntur auribus, in quas vermes & vermiculi irrepsêre; & auribus verminosis, in quibus orti sunt & enati. Latini *aures verminosas*, has vocant, Dioscorides ἰχωῤῥοῦντα vocat *aures purulentas*, σκωληκιῶντα *verminosas*. Inde lemma capitis apud Celsum: ADVERSUS AURIUM VERMES. Plinius XXIX. cap. ultimo. *Si aliquod animal intraverit, præcipuum remedium est murium fel aceto dilutum. Si aqua intraverit, adeps anserinus cum cepæ succo.*

ſucco. quæ verbotenus, ut omnia, noſter deſcripſit.

Qui gravis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget :] Non medicè ſed poëticè dixit, *qui gravis eſt oculis.* Iuvenalis appellat *acre malum ſemper ſtillantis ocelli.* Lucilius, — *lachrymoſæque ordine tallæ.* Tallæ folliculi cepæ. Gloſſæ : *talla*, κρομμύου λέπυρον. Feſtus à Scaligero reſtitutus: *tallam, allii folliculum, cepe.* vulgo mendoſè : *taliam alii folliculum cepe.* Dioſcorides περὶ κρομμύων. ὁ δὲ χυλὸς ἐγχριόμενος σὺν μέλιτι βοηθεῖ ἀμβλυωποῦσιν, ἀργέμοις, νεφελίοις, καὶ ἀρχομένοις ὑποχεῖσθαι, καὶ συναγχικοῖς διαχριόμενος. ubi ceparum ſuccus oculorum hebetudinibus, cæteriſqne affectibus auxiliatur. Idem aurium vitio ceparum ſuccum mederi ſcribit, eodem capite : πρὸς τὰς ἀπολήψεις τῶν ὑδάτων τῶν ἐν τοῖς ὠσὶν ἁρμόζει. id eſt, ad eliciendam aurium aquam valet. Notandum autem *ceparum* nomine & *allia* & *porrum* venire : quarè & Sereno paſſim hæc tria confunduntur. Græci etiam ἀσκαλώνιον & γήτειον mixtim uſurpant ; at propriè minus. Heſychius, γήπα, κρόμμυα ἃ καὶ γήθυα καλοῦνται. Alii γήθυον putarunt eſſe *porrum ſilveſtre.* Idem Heſychius, γήθυα. ἀμπελόπρασα. οἱ δὲ γηψυλλίδας (ſcribe γηθυλλίδας) οἱ δὲ μεγάλα κρόμμυα. ἄλλοι χλωρά. Euſtathio nihil differunt γήτειον, γήθυον & γήθιον. Legi etiam γῆθυ pro cepa. Pſellus in verſibus politicis, quibus obſcuras voces expoſuit : κόγκαλον δὲ ὁ στρόβηλος. τὸ δὲ κρόμυον, γῆθυ.

Sitque vel annoſis confecta doloribus auris.] Scribo :
Si qua vel annoſis confecta doloribus auris.

Cretaceam dabis in teſtam] Indes τῇ κιμωλίᾳ, cujus frequens & appoſitus in medicina uſus. Falluntur, qui τὴν Σαμίαν intelligunt, ut infrà ineptâ expoſitione :

Nec non quæ ſtagnis ceſſantibus hæſit hirudo
Sumitur, & vivens Samia torretur in olla.

Tum Delphica frondis Addatur, miſto totum fervescat aceto.] Stephanus ad oram editionis ſuæ, *totum ut*

 fer-

auribus statim prosunt. & infrà: *vermes ex qualibet arbore rubri coloris contriti cum oleo, & infusi, dolores aurium sedant.*

Lumbricos terræ, sevumque ex ansere rauco] Marcellus: *Terreni vermes cum anseris adipe vel cum oleo decocti sine dubio medentur auribus purulentis.* Alibi: *terreni vermes cum adipe anseris decocti infunduntur auribus etiam ad jam deplorata vitia.*

Si jungas olidæ grave quod minxere capellæ] Dioscorides, ubi de urinis agit, caprinam etiam aurium doloribus instillatam mederi scribit. Sed eo remedio, quo fel taurinum conjungitur, non urinam sed lac caprinum fractis auribus & purulentis prodesse tradit. περὶ ταυρείας: πυῤῥοοῦσί τε ὦτα, καὶ τὰς ἐπ' αὐτῶν ῥήξεις σὺν γάλακτι αἰγείῳ ἢ γυναικείῳ ἐνσταζομένη. Sed *grave* de lotio venustè dictum. Glossæ medicæ: *gravitas*, urina. *graveolentia*, οὖρον αἰγός. Marcellus eodem cum Sereno consilio: *adversus gravitatem audiendi, fel bubulum cum urina hirci auriculæ, quæ molestiam surdiginis patitur, instillabis, statimque subvenies.*

Si verò incautas animal penetraverit aures.] Quidam librorum non tam eleganter, *Si verò in patulas.. incautas* improvidas, nec præcaventes ad ea, quæ irrepserunt animalcula, avertenda. Marcellus: *si aliquod animal aurem intraverit, præcipuum remedium est, murinum fel aceto dilutum instillare.* Diversa remedia præscribuntur auribus, in quas vermes & vermiculi irrepsêre; & auribus verminosis, in quibus orti sunt & enati. Latini *aures verminosas*, has vocant, Dioscorides ἰχωῤῥοῦντα vocat *aures purulentas*, σκωληκιῶντα *verminosas*. Inde lemma capitis apud Celsum: ADVERSUS AURIUM VERMES. Plinius XXIX. cap. ultimo. *Si aliquod animal intraverit, præcipuum remedium est murium fel aceto dilutum. Si aqua intraverit, adeps anserinus cum cepæ succo.*

Digitized by Google

ſucco. quæ verbotenus, ut omnia, noſter deſcripſit.

Qui gravis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget:] Non medicè ſed poëticè dixit, *qui gravis eſt oculis.* Iuvenalis appellat *acre malum ſemper ſtillantis ocelli.* Lucilius, — *lachrymoſæque ordine tallæ.* Tallæ folliculi cepæ. Gloſſæ: *talla*, κρομμύου λέπυρον. Feſtus à Scaligero reſtitutus: *tallam, allii folliculum, cepe.* vulgo mendoſè: *taliam alii folliculum cepe.* Dioſcorides περὶ κρομμύων. ὁ δὲ χυλὸς ἐγχριόμενος σὺν μέλιτι βοηθεῖ ἀμβλυωποῦσιν, ἀργέμοις, νεφελίοις, καὶ ἀρχομένοις ὑποχεῖσθαι, καὶ συναγχικοῖς διαχριόμενος. ubi ceparum ſuccus oculorum hebetudinibus, cæteriſque affectibus auxiliatur. Idem aurium vitio ceparum ſuccum mederi ſcribit, eodem capite: πρὸς τὰς ἀπολήψεις τῶν ὑδάτων τῶν ἐν τοῖς ὠσὶν ἁρμόζει. id eſt, ad eliciendam aurium aquam valet. Notandum autem *ceparum* nomine & *allia* & *porrum* venire: quarè & Sereno paſſim hæc tria confunduntur. Græci etiam ἀσκαλώνιον & γήτειον mixtim uſurpant; at propriè minus. Heſychius, γήπα, κρόμμυα ἃ καὶ γήθυα καλοῦνται. Alii γήθυον putarunt eſſe *porrum ſilveſtre.* Idem Heſychius, γήθυα. ἀμπελόπρασα. οἱ δὲ γηψυλλίδας (ſcribe γηθυλλίδας) οἱ δὲ μεγάλα κρόμμυα. ἄλλοι χλωρά. Euſtathio nihil differunt γήτειον, γήθυον & γήθιον. Legi etiam γῆθυ pro cepa. Pſellus in verſibus politicis, quibus obſcuras voces expoſuit: κόγκαλον δὲ ὁ στρόβηλος. τὸ δὲ κρόμυον, γῆθυ.

Sitque vel annoſis confecta doloribus auris.] Scribo:

Si qua vel annoſis confecta doloribus auris.

Cretaceam dabis in teſtam] Indes τῇ κιμωλίᾳ, cujus frequens & appoſitus in medicina uſus. Falluntur, qui τὴν Σαμίαν intelligunt, ut infrà ineptâ expoſitione:

Nec non quæ ſtagnis ceſſantibus hæſit hirudo
Sumitur, & vivens Samia torretur in olla.

Tum Delphica frondis Addatur, miſto totum fervescat aceto.] Stephanus ad oram editionis ſuæ, *totum ut*

 fer-

fervescat aceto, excudit. lego, *effervescat*. Eleganter autem *Delphica frondis*, pro frons, dixit, ut infrà, *Persica frondis*. Antiqui enim *frondis* nominandi casu dicebant. Glossarium, φυλλὰς *frondis*. Item: *frondis*, θαλλός. Aliud Græco-Latinum: θαλλὸς, *frundis*, Umbrorum more pro *frundis*. Vel *Delphica frondis*, ut infrà, *alii tumorum*, pro tumores.

Sunt alii, quos dura movet natura, tumorum: ubi *tumores* reposuerunt, qui hujus ἀρχαϊσμοῦ erant ignorantes. Ulpianus tit. de naufragiis & incendiariis: *Lex quidem Cornelia aqua & igni interdici jussit: sed variæ sunt punitionum.* ubi malè *species*, vir eruditissimus subintelligendum censet. Aristophanes: τῆς αἰθέρης πολλὼ ἔφλα. Plura ἑλληνικῶς ad eundem modum dicta, alibi notabimus.

OCULORUM DOLORI MITIGANDO.

SUmma boni est alacres homini contingere visus] *Summa* est ipsa boni perfectio & consummatio, ἡ κεφαλαίωσις. Glossæ: *summa*, ἡ ὁμοῦ, ἡ συναρίθμησις. *summarium*, κεφάλαιον. Glossæ Philoxeni, *summa*, κεφάλαιον, σύμπαν. *Summa boni*, ut *summa votorum* apud Poëtam:

——— *votorum hæc summa meorum.*

Quos quasi custodes defensoresque pericli Prospiciens summâ natura locavit in arce.] Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός. Cicero lib. II. de Nat. Deorum: *Oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere.* Minucius Octavio: *Oculi in summo, velut in speculâ constituti, & omnes ceteri sensus velut in arce compositi.* Theophilus Protospatarius medicus de fabricâ

bricâ corporis humani libro IV. cap. XVI. ἐπεὶ δὲ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμὸς, καθὼς φησὶν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις ὁ ἀληθινὸς θεὸς ἡμῶν. ὁ δὲ λύχνος οὐκ ἐπ' ἐδάφους ἔχει τὴν θέσιν οὔτ' ἐν μέσῳ τόπῳ ἀλλ' ἐφ' ὑψηλοῦ τόπου κεῖται, εἰ μέλλοι φωτίζειν τοῦ τε οἴκου ἅπαντα καὶ τοὺς ἐν τῷ οἴκῳ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ δημιουργικὴ τούτου σοφία εἰδυῖα ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου λαμβάνειν τὴν ὅρασιν τοὺς ὀφθαλμοὺς πλησίον τοῦ ἐγκεφάλου τὴν θέσιν αὐτῶν ἐπεχειρήσατο. καὶ ἐπειδὴ ἡ περιπάτησις τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν βαίνει, τὸν ἔμπροσθεν τόπον ἐξελέξατο, καὶ δύο τὸν ἀριθμὸν αὐτοὺς ἐποίησε, διὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους αὐτοῦ: ὥστε ποτὲ τοῦ ἑνὸς ἀμαυρωθέντος, διοικεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον μετὰ τοῦ ἑνός. πολλοὶ γὰρ διὰ δριμὺ ῥεῦμα ἢ ἀμφοτέρους τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀπώλεσαν ἢ τὸν ἕνα. καὶ ἄλλως δὲ χρήσιμον τὸ δύο εἶναι τοὺς ὀφθαλμούς. οὐ μόνον γὰρ τὰ ἔμπροσθεν ὁρᾶν χρὴ ἀλλὰ καὶ τὰ πλάγια, καὶ τὰ ὀπίσω σκοπεῖν. *Defensores pericli*, pro à periculo: sic *defendere* est vindicare & depellere, apud Nonium: Græci eodem modo ἀρήγειν & ἀρκεῖν, ambigua significatione. Apud Euripidem Troasin, παισί τ' οὐ δυνάμεθα θάνατον ἀρῆξαι. Plautus Mostellar. act. IV. sc. II. *Heu ecquis hic est, qui his injuriam foribus defendat?* pro, à foribus. Virgilius: *Solstitium pecori defendite.* à pecore. Ennius Achille: *Serva cives, defende hostes, cum potes defendere.* & alia sexcenta.

Atque supercilio pavidi tegerentur opaco] Non est, cur ex avito divisim rescribamus:

Atque super cilio pavidi tegerentur opaco.

nam & *supercilium* de cilio dixere veteres. Sic tegmina, quibus oculi cooperiuntur, *cilia* & *supercilia* vocabant. Lactantius de opificio Dei. *Ut oculi munitiores essent ab injuria, eos ciliorum tegminibus occuluit, unde oculos dictos esse, Varroni placet. Nam & ipsæ palpebræ, quibus mobilitas inest, palpitatio vocabulum tribuit; pilis in ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent.* Sic rectè *pavidi* dicuntur ocu-

li, quod tremuli ſint & palpitantes. Vide, quæ infra notamus ad INTERNECANDA, QUÆ OCULOS IMPEDIUNT. quod caput transpoſitum de ſuo loco legitur, & poſt hoc, videtur reponendum. Sic in antiquo meo manuſcripto comparuit; an in cæteris, non rectè pronunciaverim.

Viventiſque nepæ lumen geſtatur amicum] *Virentiſve nepis* avitus: minus, ſi quid judico, rectè. *Nepa* pro cancro: inde *imitari nepam*, καρκῖνον λοξοβάταν in epigr. Græco. Plinius de cancri oculis, lib. XXXII. cap. VII. *Cancri oculos adalligatos collo, mederi lippitudini dicunt.* Marcellus: *Cancri oculus ſubtiliter ſublatus & in phœnicio conligatus, colloque ſuſpenſus, lippitudini incipienti medetur, ſi tamen remedium à caſto homine fiat.*

Et laticem Bacchi fœtæ cum lacte capellæ,] Non reſpuenda lectio, quam me docuit liber avitus: *fœtæ cum lacte mamellæ. mamellæ* pro *mamillæ* fortaſſè ſcriptum eſt, niſi ſit illud verius. In Longobardo charactere literæ affines maximè comparent. Nec diſſident medicorum filii, qui tale quid oculis ex cruore ſuffuſis præſcribunt. Dioſcorides περὶ γυναικείου γάλακτος. μιχθὲν δὲ λιβανωτῷ, λείῳ, ἐνστάζεται τοῖς ἐν πληγαῖς αἱμαχθεῖσιν ὀφθαλμοῖς. *thuris pollinem* Dioſcorides vocat quod *thus confractum* Samonicus. Sic eleganter & indubiè, ut puto, veram lectionem reſtituimus.

Hyblæi mellis ſucci cum felle caprino,
Subveniunt oculis dirâ caligine preſſis.] Scribitur in eodem avito: *Hyblæi mellis ſucci cum felle canino:* quod non vilius eſt iſto in vulgum vulgato, *cum felle caprino.* Et ſanè non affectaremus ejuſmodi diſcrepantias, ni ceterorum ſcriptorum auctoritate, qui eandem rem tractant, nolentes impelleremur. Plinius XXIX. cap. V. *ſuffuſionem oculorum canino felle malebat quam*

hyænæ curari. Apollonius Pitanæus cum melle. Non tamen damno cæterorum ſcripturam, *cum felle caprino:* immo vehementer eandem probo, cum fel capræ ſylveſtris privatim contra ſuffuſiones incipientes & oculorum caligines commendet Dioſcorides, περὶ χολῆς πάσης. αἰγὸς ἀγρίας. ἰδίως ἁρμόζουσα πρὸς ἀρχομένας ὑποχύσεις. καὶ ἀχλῦς. & infrà eodem capite: αἰγὸς ἀγρίας ἰδίως νυκτάλωπας θεραπεύει ἐγχριθεῖσα. Quæ crebra ſunt apud illos auctores. Paria autem remedia ad ſuffuſiones & caligines plerumque à medicis præſcribuntur, quod admonere conſultum putavi, ne quis avitam lectionem aſpernaretur.

Vettonicæ manſus ſiccabit lumina ſuccus.] Ita libri, quod ſciam, omnes. Alio tamen loco *betonicam* pro *vettonica* dixit Serenus. Plinius: *Vettones in Hiſpania* invenerunt *eam, quæ vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem ſerratula, ante cunctas laudatiſſima.* Inde proverbium Italorum: *Tu hai piu virtu, che non ha la betonica.*

Expreſſæ marathro guttæ cum melle liquenti Detergere malum poterunt.] Succus fœniculi maximè efficax eſt πρὸς τὰ ὀφθαλμικά. Græci medici περὶ μαράθρου. ὁ χυλὸς ἐκθλιβέντων τῶν καυλῶν καὶ τῶν φύλλων ἐν ἡλίῳ ξηρανθεὶς, εἰς τὰ ὀφθαλμικὰ ὅσα πρὸς ὀξυδορκίαν σκευάζεται χρησίμως. De felle vulturino paria ferè habes apud Plinium lib. XXIX. cap. VI.

Fel quoque de gallo, mollitum ſimplice lympha] ἀλεκτορίδος λευκῆς, habet Dioſcorides. Plinius etiam de gallo conſentit, ſed albo, cum Dioſcoride: *eadem vis eſt in gallinacei felle ad ſuffuſiones oculorum, maximè candidi gallinacei.* Marcellus: *galli gallinacei maximè albi fel ex aqua dilutum, & inunctione adhibitum, leucomata oculorum & hypochyſes ſanat, & aciem luminum confirmat.*

Sive columbarum fimus miſcetur aceto] Plinius ubi ſuprà:

ſuprà: *Laudatur & milvi jecur. Fimum columbarum ex aceto ad ægilopas.* Idem de felle perdicis: *Fel perdicis cum mellis æquo pondere; per ſe verò ad claritatem, dorcados.* Marcellus: *Perdicis fel mixtum melli Attico caliginem tollit, ſi oculis aſſidue infundatur, ſed cum modo & æquali menſura.* Omnia ferè à Plinio Serenus mutuavit: in quo tamen extra regulam producitur *fimus.* Alibi:

Sive palumborum capitur fimus acre ferorum.

Sed hæc obvia ſunt in noſtro Poëta medico.

Vina chelidoniæ ſimili ratione jugantur] χελιδονίῳ τῷ μεγάλῳ. Dioſcorides: ζώτης ὁ χυλὸς μιγεὶς μέλιτι καὶ ἑψηθεὶς ἐν χαλκῷ ἐπ' ἀνθράκων ἁρμόζει πρὸς ὀξυδερκίαν. Notarunt, ejus ſuccum eſſe croceum. Idem: χυλὸς δὲ κροκώδης, δριμὺς δηκτικός. Falluntur autem, qui croceum ſuccum, cum colore croceo confundunt. Lexicon Chymicum: χελιδονία ἐστὶ τὸ ἐλύδριον. Neophytus: χελιδόνιον, τὸ ἐλύδριον.

Si genus eſt morbi, miſerum quod lumen adurit:] Hæc ſuffuſionem concernunt, quam *cataractam* nominarunt, ut obſervat Pictorius.

Anguibus ereptos adipes ærugine miſce,
Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes] Non *exceptos adipes*, quod à Mundella lectum. Et perperam avitus, *ærugine miſces.* Habet autem à Plinio capite ſuprà citato: *anguium adeps ærugini mixtus, ruptas oculorum partes ſanat. ruptas partes* vocant, everſionem palpebrarum. λαγώφθαλμον Græci appellant, ut teſtatur etiam Celſus libro ſeptimo. Avicenna vocat *aſcera*, quod exponunt *palpebræ inverſationem.* Dioſcorides de ærugine: δύναται δὲ πᾶς ἰὸς στύφειν, θερμαίνειν, ἀποσμᾶν τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς οὐλὰς καὶ λεπτύνειν. Aëtius libro ſeptimo, capite LXXI. ἰὸν πεφρυγμένον ἐπ' ὀστράκου λειάνας παράθου καθ' αὐτὸν, ἢ μόλυβδον κεκαυμένον ἴσον πρόσπλοκε.

Si verò horrendum ducunt glaucomata peplum] Peplum

Digitized by Google

plum, non dubito, quin vera lectio ſit, libri tamen *plumbum* conſtanter affirmarunt. Literæ legebantur tranſpoſitæ in avito chirographo, in quo *pumblum* ſcriptum erat ineptiſſimè pro *plumbum*, quod & in cæteris forſan exaratum: Qui hoc affectu laborant, iis vitium humoris cryſtallini in colorem glaucum, oculum immutat, videnturque, quaſi per *peplum*, id eſt, nebulam videre.

Spiritus alterius prodeſt, qui grana cumini
Pallentis mandens viſus exhalat in ipſos.] cuminum ſativum Æthiopicum intellige, & Ægyptium: de quibus Dioſcorides περὶ κυμίνου ἡμέρου. Græci κεραβάδι vocant, & κεραβάδιον, quos inter Myrepſus. Plinius XX. XV. de cumino ſilveſtri: *oculorum epiphoris per ſe impoſitum, tumentibus cum melle prodeſt.* quo loco notabis, in medicamentorum præſcriptione maximè diſſidere medicorum filios. *Viſus* pro luminibus videntibus eleganter dixit. Gloſſæ: *Viſus*, ὄκκος ὀφθαλμός.

Si tumor inſolitus typho ſe tollat inani] Non aliter mihi perſuadeo legendum eſſe hunc verſiculum, quàm ut edidimus. Libri partim eodem modo exhibuerunt, partim levi mutatione: *tofo ſe tollat inani*: quod interpretis eget, nec meo quidem judicio ſincerum eſt. Gloſſæ *tofum* πῶρον explicant. Sic fæculam vocabant, quæ in æneis vaſis, in quibus aqua coquitur, ſubſidet. Eo ſenſu πῶρον, id eſt, *tofum* præſcribit Ægineta lib. VII. cap. XVI. ubi in collyrio ex hydria πῶρον τὸ ἐν τοῖς θερμαντηρίοις ἀγγείοις εὑρισκόμενον recipit. Sic ille locus Æginetæ ex Galeno reſtituendus libro IV. de compoſitione medicamentorum: καὶ τὸ συνιστάμενον πωρῶδες ἐν τοῖς θερμαντηρίοις ἀγγείοις. anteà mendosè legabatur apud Æginetam: πῶρον τὸ ἐν τοῖς θεσμοφορίοις, &c. De ejus tofi generatione paſſim habes apud eundem Galenum, & præſertim libro primo de alimentis,

tis, item Alexandr. Trallianum, qui plerisque articulis fluxione tentatis oboriri tradit, libro undecimo. Sed nullus tumor *tophus* in medicina legitur, in vitiis oculorum curandis. Eam lectionem qui dedêre Samonico, non aliud agitarunt, quàm ut eodem modo, quo *plumbum*, pro colore plumbeo priore versu dixisset, hic *tofum*, cavernosum & spongiosum lapidem, simili inani & leviter ebullienti tumori compararent. Quod an æquè factum sit, aliis etiam discutiendum relinquo. Omnino autem hæret animo meo legendum, *typho se tollat inani.* Liber avitus: *tufo se tollat inani*, *tufo* pro *tyfo* scriptum, vel *typho*, ut τύφη pro τίφη, quod frequens occurrit in veteribus membranis: unde correctores intempestivè seduli malè, quamvis pronâ emendatione, *tofo* fecerunt. *typhum* vocabant omnem subitaneam inflammationem: unde & τύφον febriculam ardentem exponit Fœsius in Hippocratem. Glossæ medicæ: *tafus* (scribo *tuphus* vel *typhus*) τυφώδης πυρετὸς. Talem febriculam symptomaticam à jecinoris erysipelate excitatam, τυφώδη veteres appellabant, sicut à ventriculo λειπυρίαν, à pulmone κρυμώδη. Isidorus: *typhi sunt frigidæ febres, quæ abusivè typhi appellantur ab herba, quæ nascitur in aqua; quæ Latinè forma atque status dicitur.* Bene fecerunt eruditi viri, qui reposuerunt: *Typus forma atque status dicitur.* Eam herbam, quæ se ab aqua inflat, *typum* vocabant, unde ambitiosorum hominum tumor typhus dicitur, ut habet Papias. Immo febrium horrorem etiam *typum* dixerunt, unde ea lemmata apud Serenum: QUARTANÆ. TERTIANÆ. QUOTIDIANÆ TYPO MEDICANDO. Theodor. Priscianus libro II. cap. XXI. de phthisicis: *consuerunt sub quodam velut typico charactere vespertinis magis febribus admoneri, ut aliquando cotidie, aliquoties etiam diem tertium moveantur.*

Habes

Habes apud Myrepſum de propomatis medicamentum, ad typos quotidianos & quartanos, cap. XCVII. Eum igitur tumorem, quem Serenus hîc abſque manifeſta cauſa in oculis, id eſt, in palpebris ebullientem deſcripſit; cum ſit inani quodam ſpiritu diſtentus, non ineptè *typhum* dixeris. Græci ἐμφύσημα vocant, & ἐμπνευμάτωσιν communiter, & utramque vocem promiſcuè, ut alia confundunt. Illi autem, qui pro librorum auctoritate Sereni verſiculum legunt,

Si tumor infeſtat, rufos & gliſcit in orbes,

ὀφθαλμίαν exponi putant, quibus nullatenus adſentior. Ea enim lectio, quam ex membranis interpretamur, mihi multò venuſtior eſt & vetuſtior; & præ altera ſequiore eam defendere poſſumus & exponere, immo & debemus.

DENTIUM VITIO, ET ORIS FOETORI MEDENDO.

HAud facile eſt acrem dentis tolerare dolorem] Celſus libro VI. cap. IX. *in dentium dolore, qui ipſe quoque maximis tormentis annumerari poteſt, vinum ex toto circumcidendum eſt.* ea lectiô in omnibus libris apparet, docente Cl. Lindano. Ego tamen olim conjiciebam: *genuinum ex toto cirumcidendum eſt.* cujus conjecturæ Autorem gloſſam habui, quæ *genuina* οὐλὸν exponeret: item *genuina*, τὰ περὶ ὀδόντας περιέχοντα σαρκία. Celſus libro VII. cap. XII. *Si dens dolores movet, eximique eum, quia medicamenta nihil adjuvant, placuit; circumradi debet, ut gingiva ab eo reſolvatur.* quam conjecturam tamen cum incomparabili Gronovio non approbaſſem, ſtatim ab eâ deſtiti. nam τὸ *circumcidere* multo venuſtius illic de vino quam ge-

genuino legitur, ut apud Phædrum, *circumcidere impensam funeris*, apud Senecam, *circumcisæ peregrinantium sarcinæ*, apud Florum, *amputare sarcinas*, ut ille me docuit per epistolium. Nam quis non experitur τῶν ὀδονταλγούντων vini sibi usum inutilem esse? Eidem Glossarum iste locus vehementer est suspectus, & verisimile putat, scriptoris manum aberrasse, *genuina* posito, quum *gingiva* vellet. Quod indubiè verum est, & jam verissimum amplector. Est autem *circumcidere vinum*, vini usum interdicere. Idem Celsus libro IV. cap. XX. *deinde, ubi ad se redit, circumcidendum vinum est in totum annum.*

Mansus item prodest succis oleaster acerbis.] Oscedini nimirum & linguæ vulneribns, ut sequenti versu subindicat: Dioscorides περὶ ἀγριελαίας. ἰᾶται δὲ ἐν στόματι ἕλκη καὶ ἄφθας διαμασσηθέντα. Turnebus *oris ulcuscula*, interpretatur ex Isidoro libro XI. cap. ultimo adversar. ut & Mercurial, lib. V. cap. X. Var. Lect. Glossæ medicæ: *oscedo*, ἄσκαι. Perperam: Legendum, ἄφθαι. ἄφθαι enim oris ulcera sunt, ut medici norunt, & ex Dioscoride satis constat. Etiam de ceteris corporis partibus dixêre, sicut ἀφθῶντες διδύμους, de testibus exulceratis Ægineta libro III. cap. LIV. Hippocrates de fistulâ pulmonis libro II. de morbis: ἢν ἀφθήσῃ ἡ σύριγξ τοῦ πνεύμονος, πυρετὸς ἴσχει βληχρός. Marcellus *pustulas* vocat, eodem remedio cum Sereno: *linguæ ulcera vel pustulæ bene accipiuntur, si oleæ vel oleastri succo foliorum & sulphure tritis, assiduè perfricentur.* Quarè perperam est Pictorius, qui *oscedinem* hic oris extensionem interpretatur.

Manditur apta rubus gingivis, & bona labris.] Alii libri non distingunt, & legunt, *& bona labris Lentiscus.* quod non placet. *Rubus* pro foliis ruborum. Plinius Valerianus *pampinos* ruborum, id est, folia, eodem consilio præscribit. libro I. cap. XXXVI. *ruborum*

rum in quibus mora naſcuntur, pampini decoquuntur in auſtero vino, & commanducantur adverſus mobilitatem dentium. Melius ad Sereni ſenſum Dioſcorides: Κρα-τύνει δὲ καὶ οὖλα καὶ ἄφθας ὑγιάζει διαμασσώμενα τὰ φύλλα. Sic *rubum* Poëtæ dicunt de moris in rubo creſcentibus: Calphurnius ecloga IV.

——— *ne fraga ruboſque*
Colligerem, viridique famem ſolarer hibiſco.

etiam *rubum bonam labris*, geminè dixit. Ibidem Dioſcorides: τοῦ δὲ καρποῦ αὐτοῦ ὁ χυλὸς πεπείρου ὄντος τε-λείως εἰς τὰ στοματικὰ ἁρμόζει. Græci Poëtæ bonam labris interpretantur, ob puniceum & rubicundum colorem, qui verus naturalium labrorum. Æſchylus apud Athenæum:

Λευκοῖς τε γὰρ μόροισι καὶ μελαγχίμοις,
Καὶ μιλτοπρέποις βρίθεται ταὐτοῦ χρόνου.

Inde γογγύλον μόρον vocavit Sophocles. Iidem *rubum gingivis aptam* exponunt, ob ſuavem ſaporem & oblectamentum ſaporiferum. Nicander:

Καὶ μορέης ἣ παισὶ πέλει μείλιγμα νέοισι,
Πρῶτον ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς ἡδεῖαν ὀπώρην.

Notabis autem μόρα dici, quæ rubi ferunt. Ovidius:

Cornaque & in diris hærentia mora rubetis.

Euſtathius: σημείωσαι ὅτι καὶ τὰ τοῦ βάτου μόρα λέγεται. Galenus de compoſitione medicamentorum, τῶν κατὰ τόπους, libro VI. μίγνυμεν δὲ καὶ τῶν βάτων τὸν καρπὸν, ὃν ἔνιοι μὲν ἀπὸ τοῦ φύλλου παρονομάζουσι, βατίνα προσαγορεύοντες, ἔνιοι δὲ συνήθως προσηγορίᾳ μόρα καλοῦσι, προστιθέντες τὰ ἀπὸ τῶν βάτων. Hieronymus Paulino: *Amos paſtor & ruſticus, & ruborum mora diſtringens.*

Lentiſcus myrtuſque emendant oris odorem.] Inter ὀδοντόγλυφα veterum, connumerantur myrtus & lentiſcus. de lentiſco ſupra notavimus, de myrto paſſim medici conſentiunt. Obiter obſervabis, & *olorem* hoc loco rectè pro *odorem* exaratum legi in noſtro avito, cum

cum oris graveolentiam designet. *olor*, πνοὴ ὄσμη in optimis glossis exponitur, ut suprà quoque notavimus. Marcellus: *oportebit autem perungere assiduè ulcera succo rubi lentisci, oleastri, rosæ viridis foliorum.*

Quod verò assumpsit nomen de dente fricando,

Cervino ex cornu cinis est,] Cujus descriptionem habes optimam & accuratissimam apud Dioscoridem libro. II. capite LXIII. περὶ ἐλάφου κέρατος. Plinius Secundus lib. XXVIII. cap. XI. *dentes mobiles confirmat cervini cornus cinis, doloresque eorum mitigat, sive infricentur, sive colluantur.* ubi *cornus* pro *cornu* ex antiquis legendum. Vide quæ infra notamus. Inter ὀδοντοτρίμματα veterum medicorum, usitatissimum est ustum cornu cervinum, quod ὀδόντας παρατριβόμενον σμήχει, ut Græci passim loquuntur. Deinde *torridam porcæ ungulam* vocat, quæ tosta erat vel cremata. Glossæ Græco-latinæ: κάτοπτον τὸ πολυέψηλον, *torridum, tostatum.* lego: *torridum tostum* vel *assatum.* Serenus infrà: *vel torrida brassica flammis.* Multa dentifricia ex tostis cornibus componebantur. Marcellus: *ossium ex ungulis porcinis combustorum cinis pro dentifricio habitus, plurimum confirmandis dentibus prodest.* cap. XIII. *Porci ungularum ossa combusta tritaque & cribrata, adjecto nardo & folio, frictione frequenti dentes candidissimos præstant.* Plinius Valerianus libro I. cap. XXXVI. *comburi debent arenulæ, quæ in cornibus cochlearum inveniuntur, & cavis dentibus inditæ finiunt dolorem: idemque præstat fimus cortri in lanâ alligatus.* ultima verba indubiè mendosa sunt. Barthius aut *corvi* aut *crocodili*, conjicit reponendum. immo *corvi* ex Marcello: *fimus corvi lanula obvolutus, denti cavo insulcitur minutatim, ac sine dolore eum discutiet.*

Ambitiosa putas, sunt ista salubria cunctis.] *ambitiosa* pretiosa, πολυτελῆ. *multis composta Philonia rebus.*

rebus. Infrà VENTRI MOLLIENDO.

Multos præterea medici componere ſuccos
Conſuerunt: pretioſa tamen cum Veneris emptum,
Falleris, fruſtraque immenſa nomiſmata fundes.

Sic vocabant pretioſas antidotos, & haud mediocrem pecuniæ collationem exigentes. Sic aliæ erant πανάκειτοι, aliæ σωτήριοι. & ἰσόθεοι. Ita veteres ſplendidis & magnificis titulis ſuas compoſitiones ornabant.

Exeſos autem dentes ſi fortè querêris] Rectè de *cavis* exeſos interpretantur. Marcellus capite XII. Si *excavatus fuerit dens, injicitur in cavernam ejus quantum ſit ſatis medicamenti ad explendum locum.* eas cavernas, *patulos hiatus* & *cavas partes* Serenus appellat. Alia Græcorum φατνία, cavitates in quas dentes infixi ſunt, ut Rufus exponit. Galenus autem dentes contineri ſcribit ἐν τοῖς τῶν φατνίων βοθρίοις. Immo φατνία & βοθρία iiſdem crebrò confunduntur. Gloſſæ: βοθρία, *dentium alveoli*: quod ita capiendum; ut cavitates, in quas dentes inſerti ſunt, non dentium cavitates exponantur. Marcellus: *cavos dentes cinis murini fimi impoſitus ſanat & ſupplet.* Malè Pictorius hic edidit: *patulis & hiantibus adde.*

Ora ambuſta cibo ſanabis lacte canino.] Hunc verſiculum codex avitus infrà repetit, ſub lemmate COMBUSTURIS IGNE VEL FRIGORE, poſt eum:

Junge chelidoniis, ac ſic line vulnera, ſuccis.

Sæpe etiam gelida gingivas collue lympha.] Niſi malis *calida*: *colida* ſcriptum in avito, prona mutatione literarum. Conſentiunt medicorum filii περὶ ὕδατος. πρὸς ὀδόντων πόνον θερμὸν διακλυζόμενον. Mihi tamen religio eſt, eam lectionem ſubſtituere & alteram veriſſimam immutare.

Hujus & attritu tetrum mulcebitur ulcus.] Vel *attactu*, quod verum eſt ex membranis, non tamen avi-

tis, in quibus *allitu* manifestè scriptum. Plinius de medicina lanarum: *sordes quoque caudarum concretæ in pilulas, ac siccatæ per se tusæque in farinam, & illitæ dentibus mirè prosunt, etiam labantibus, gingivisque si carcinoma serpat.*

UVÆ, FAUCIBUS, COLLO, ET QUÆ MOLLIENDA SUNT MEDENDIS.

Vel cum ventis agitabilis aër Vertitur atque ipsas flatus gravis inficit undas] Hos versiculos sic emenda ex libris chirographis.

——— *vel cum ventis agitabilis aër*
Verritur, atque ipsas flatus gravis inficit auras.

Inter ea tempora, quæ morbis faucium infesta sunt, numerantur imprimis autumnalia, quæ maximè variant, ex indè longè periculosa censentur. Cum igitur iis ad omne momentum tempestatum genera vertant, & exinde cœlum inficiant, flantibus imprimis aquilonibus, qui tussim movent & fauces exasperant; talia præsertim morborum incommoda generantur. Hæc mens est eorum versuum, quæ ex aëris habitu, non undarum corruptione videtur intelligenda. *Vertitur* autem ventis aër, cum iisdem furentibus & regirantibus quasi *verritur*: quod ultimum à Sereno scriptum esse libri testantur, & nos probabimus. Virgilius de Æolo ——— *everritque æquora ventis.* Agellius: *namque illi omnes & eorum maximè Græci multa & varia lectitantes, in quas res cunque inciderunt, &c. converrebant.* Virgilius de Aquilone III. Georg.

Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.

&

& alibi de ventis: *verrantque per auras.*

Vel rabidus clamor, fracto cum fortè sonore

Planum radit iter.] Non est, cur *facto* pro *fracto*, reponamus auctoritate librorum. Quintilianus: *non enim puerum fœminea vocis exilitate frangi volo.* Sic Græci τρύψιν dicunt. In formanda voce palatum est quasi ἠχεῖον at plectri loco ὁ γαργαρεὼν, ut explicat Galenus: Facit ad vocis modulationem, quæ eo motu deficiente, frangitur. Accidit illud oratori Q. Hortensio, cujus vox fato suo extincta est, ut Cicero in Bruto refert. Cæterum *disertum* de causarum advocato dixit, qui facundia pollens & disertus fuit. Auctor de causis corruptæ eloquentiæ: *apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit.* Vestius Valens: *efficit vates, ariolos, somniorum conjectores, phrygiones, textores, disertos.*

Simplicibus lymphis confunditur aërium mel] *Aërium mel* non ἀερόμελι, sed μέλι simpliciter dixit. Dioscorides περὶ μέλιτος. τὰ περὶ βρόγχον καὶ παρίσθμια καὶ συνάγχας διαχριόμενον καὶ ἀναγαργαριζόμενον θεραπεύει. *aërium*, quod ex aëris rore factum est. δροσόμελι & ἀερόμελι vocant medicorum filii, Theophrastns τὸ ἐκ τοῦ ἀέρος μέλι. Virgilius: *aërii mellis cœlestia dona.* Antiphilus epigrammatophorus: Ἀγγελλδναυτοπόνων ἐν αἰθέρι ῥεῦμα μελισσᾶν. Idem apes vocat αἰθερίων νέκταρος ἐργατίδας. Priore versiculo: *ergo omni studio*, etiam rectè legitur in avito manuscripto. Vulgo ineptè: *ergo autem*, & *ergo enim*, quod ad oram editionis suæ notavit Henr. Stephanus.

Ursino & tauri sevo, cerisque remissis.] *liquatis*, avitus & alii scripti librorum. quod omnino glossam olet. Quæ *remissa*, snnt liquata: ut unguenta ex adipe bubulo & ursino, liquatâque cerâ composita.

Omnia quæ geminis æquabis lancibus antè.] id est, æquali distributione & mensurâ commiscebis. Se-

cundum medicam dosin hunc versum addidit: qui legitur in illo avito:

Omnia quæ gerulis æquabis lancibus aptè.

Sed *geminis* melius expressum est ac *gerulis*, alterutrâ lancis scutella non inclinante. Obiter emendabimus hic Q. Rhemnium Palæmonem, cujus versiculus libello de ponderibus & mensuris ita vulgò legitur:

Protinus inclinat pars hæc, quæ sustinet aurum,
Pensius hoc namque est, similari crassius undâ.

omninò rescribendum: *densius hoc namque est*, id est, gravius ad pondus, αὐτίῤῥοπον: nam *pensius* est, quod æstimio, non lance prævalet. Inde de re gravi ponderandâ Græci dicebant, χρυσοῦ ἀντισταθμητὸς, & ἀντιρύσιος. Theognis:

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντιρύσιος
Ἄξιος ἐν χαλεπῇ κόρνε διχοστασίῃ.

Disce etiam miram ex humili medicamine curam] — *ex vili medicamine*, scriptæ membranæ nostræ referunt. Sic ad oram editionis, quam H. Stephanus curavit.

Crinitæ porri radices quinque coquantur.] *Crinitæ*, quæ crinibus quasi, & fibrillis implicantur. Hoc propriè Græcis est κορυκοῦσθαι. Pherecrates: ἵνα τὰ λῦία συγκορικωθῇ. Theophrastus hist. lib. I. de differentiis radicum, μικρὰν ἔχουσιν (ῥίζαν ἴχει) οἱ τε ἄλλας μείζους, καὶ ὡς κεκορυκωμένας. Cæteri medici eam differentiam cum Sereno non agnoscunt. Vide Dioscor. περὶ σκορόδου.

Hinc aqua non fervens volvatur fauce sonorâ,
Nec tamen in stomachum descendat gutta patentem.] γαργαρίζειν & ἀναγαργαρίζειν hoc Græci vocant.

Infrà: *Quod refert clauso versatum agitare palato.*
Suprà: *Decocta hæc clauso simul exercentur in ore.*

quæ omninò diversa sunt à nostro sensu. Sed optimè liber avitus alterum versum legit:

Nec

Nec tamen in stomachum descendat gluttupatentem.] qui *gutta patentem*, duabus voculis exaravit, & veterem diremit; eam non intellexit *Gluttire* propriè est salivam sorbere, quod fit per intervalla in gargarizantibus. Glossæ: *gluttit*, ἐγκάπτει. *gluttus*, βρόγχος, Theocrito βρόχθος. Inde *Stomachus gluttupatens*, in quem crebris gluttis saliva, sive decocta deglutiuntur & absorbentur. Vetus Poëta de rustico ebrio eleganter ad hunc sensum:

Percutit & frangit vas, vinum defluit: ansa
Stricta fuit: glut glut murmurat unda sonans.

Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.] Cinis testarum ustarum ex ostreis cum melle tenuissimè contritus, uvæ inlitus prodest. Marcell.

Si verò adflictam languor dejecerit uvam] De uvâ procidente videtur intelligendus, quæ κιονὶς κεχαλασμένη Dioscoridi libro V. cap. XXI. quarè *affixam* non malè ex collatis aliis posset reponi. nihil tamen mutamus.

DE RIGORE CERVICIS.

AT si cervices, durataque colla rigebunt.] Hoc caput alteri priori adhæsit in nostro avito: quod tamen cum in aliis lemmate distinctum exhibeatur; non est, cur unius auctoritatem plurimorum anteponamus; præsertim cum apud cæteros editores altum de connexione sit silentium. Cæterum *rigorem cervicis*, inflexibilem duritiem & distentionem nervorum medici exponunt. Glossæ: *rigor*: ῥῖγος, πῆγος. τένοντα ἰξαιρέτως etiam Græci de rigida cervice dixêre. Cornelius Celsus de cervicis morbis & eorum curationibus: *neque alius importunior, acutiorque morbus est, quàm is qui quodam rigore nervorum modò caput scapulis,*

lis, modo mentum pectori annectit, modò rectum & immobilem cervicem intendit: priorem Græci ὀπισθότονον, *insequentem* ἐμπροσθότονον, *ultimum* τέτανον *appellant: quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur.* Quæ *mira* Serenus vocat, ea *physica* Marcellus, capite XVIII. eodem remedio: *Ad cervicum dolores remedium physicum sic: jejunus dextram manum salivâ tange, & dextrum poplitem perfrica, deinde sinistrâ manu sinistrum, & hoc ter per singulos poplites facito, statim remediabis.* Non sunt autem ea *mira* & *physica*, superstitiosa; de quibus nos alio loco plura notabimus. Græci diverso sensu βυσαυχεῖν de iis dicunt, qui cervice rigidâ & obstipa incedunt. Julius Pollux βυσαύχην δὲ ὁ τοὺς ὤμους ἀνέλκων, τὸν δὲ αὐχένα συνέλκων, ὃν ἐπίβουλον Ἀριστοτέλης φυσιογνωμονεῖ. Item arrogantium & gloriosorum, τῶν σιμοτραχήλων incessus, de quibus eleganter Arrianus in Epicteto, diverse exprimunt: τί ἡμῖν ὀβελίσκον καταπεπωκὼς περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσιν.

Anseris aut pingui torpentia colla fovetis] *Fovebis* avitus, & optimi librorum. Cætera à Marcello subjunguntur: *ad cervicum tumores sedandos, ovorum vitelli cocti cum adipe anserino inlinuntur, felle caprino æquis ponderibus permixto, atque inde cervices fricantur.* Idem *lenticulam in aceto discoctam* præscribit.

Aut capræ fimus: & bulbi aut cervina medulla.] Malè interpungunt, & separanda conjungunt. Versus ita legendus:

Aut capræ fimus, & bulbi, aut cervina medulla.

Liber avitus:

Aut capræ fimus: aut bubuli aut cervina medulla.

Quod cum Marcello videtur arreptum, qui eodem capite: *Rigorem cervicum sevo bubulo optimè perfricantur.*

Nihil autem nobis videtur mutandum. βόλβος à Græcis

eis eodem consilio præscribitur: inde proverbium de eo qui obstipo capite incedit: βυλβὺς ζιτεῖ.

Quos autem vocitant tolles, attingere dextrâ Debebis, qua gryllus erit prensante peremptus.] Iterum ex superstitiosa medicina de gryllo perimendo habet, cujus animalculi auctoritatem magnam perhibet Nigidius, majorem magi: quoniam retrò ambulet, terramque terebret, stridat noctibus. Plinius ad faucium vitia gryllum infricatum commendat libro XXX. cap. IV. additque eandem superstitionem: *aut si quis manibus, quibus eum contriverit, tonsillas attingat.* Marcellus cap. XV. *Si quis gryllum manu contriverit, & ad tonsillas vel suæ vel alterius tenens ter applicuerit, tactu illo tumorem sanabit.* Sunt autem *tolles*, quas Plinius & alii vocant *tonsillas*. Malè *colles* in Sereno scriptum fuit, attestante Turnebo libro XI. cap. ultimo adversariorum: eandem scripturam in veteri avito nos integram reperimus. omninó autem *tolles* vel *toles* rescribendum. In superstitioso carmine apud Marcellum capite XV. EXI HODIE NATA, SI ANTE NATA, SI HODIE CREATA, SI ANTE CREATA, HANC PESTEM, HANC PESTILENTIAM, HUNC DOLOREM, HUNC TUMOREM, HUNC RUBOREM, HAS TOLLES, HAS TONSILLAS, HUNC PANUM, HAS PANICULAS, HANC STRUMAM, HANC STRUMELLAM, HANC RELEGIONEM, EVOCO, EDUCO, EXCANTO, DE ISTIS MEMBRIS MEDULLIS. Festus: *toles, tumor in faucibus, quæ per diminutionem tonsillæ dicuntur.* Glossæ: *tolæ, tolia, tonsillæ, παρίσθμια.* scribo: *tolæ, tolla, tonsillæ.* Isidorus eidem Turnebo laudatus: *tolles Gallica lingua dicuntur, quæ vulgò per diminutionem tonsillæ dicuntur,*

cantur, quæ in faucibus turgeſcere ſolent. Plinius Valerianus lib. II. cap. XLII. *Lupini ex aceto cocti fomentum optimum eſt, & tollis & parothetis utile.* Quæ verba gloſſarum emendationem probant. *parotidis* autem, pro *parothetis* videtur legendum, quod manifeſtò corruptum eſt. Celſus & alii tolles, *tonſillas* vocant, & earum affectum, inflammationem tonſillarum. Sed alii melius diſtinguunt inter ἀντιάδας & παρίσθμια, vocantes propriè ἀντιάδας inflammationem ipſarum tonſillarum: παρίσθμια earum partium, quæ propè tonſillas ſunt. Gloſſæ: παρίσμια, *morbum faucium*, ἀνλιάδας, *tonſillarum*, exponunt.

TUSSI ET CHOLERIBUS MEDENDIS.

Noxia ſi penitus cholerum ſævire venena Perſpicies.] Legendum ſi forte: *holerum ſævire venena.* quod ſincerum eſt in aliis libris: *holerum* pro *cholerum* χολερῶν, ut *ſtrio* pro *hiſtrio*, *ſtoria* pro *hiſtoria*, *ſchias* pro *iſchias* infrà in lemmate, & alia ſexcenta. *Venena* paſſim pro morbo vel affectu videtur uſurpare, cum eo nomine τὰ φάρμακα ſecus intelligantur. Homerus apud Ictum, lege CCXXXVI. ff. de V. S.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala.

Semina vel raphani permiſto dulcia melle.] Cum fauces tuſſi quatiuntur atroci, id eſt, veteri tuſſi vehementiori, vel quaſi pertuſſi vexantur, commodè eo remedio τὸ σπέρμα ῥαφανίδος cum melle miſto medici præſcribunt. quarè Sereni verſiculus addicentibus libris melioribus, ita legendus: *Semine vel raphani permiſto dulcia mella.*

Inte-

Interiora vora vetitus contingere dente.] Alii libri:

Integriora vora veritus contingere dente.

Ovum melle teres domitum ferventibus undis,] Eleganter *domitum*: ut *Pulegiumve potens domitum ferventibus undis.* & infrà: *Arida ficus item fervente domatur aceto.* Sic valdè coctum & elixum vocat, ἑφθὸν. nam ᾠὸν ἑφθὸν, est durius in aqua coctum; cui opponuntur τὰ τρομητὰ, quæ tremula sunt, & ῥοφητὰ, quæ sorbilia. Marcellus *leviter decoctum ovum* eo remedio præscribit, & mel despumatum, pari pondere permixta. Veteres poëtæ *domitum undis*, κατάπεφθον vocant; unde *flammæ domantes*, πανδαμάτωρ πῦρ. Alio sensu *vinum indomitum* Persius dixit — *indomitum quod despumare falernum.* ἀδάματον id Græci vocant. Jon Chius de vino: ἀδάμαον (malè: legendum ἀδάματον) παῖδα ταυρωπὸν, νέον οὐ νέον.

Marrubiumve potens: hæc faucibus optima sumes.] Sic omnino distinguendum est. nam marrubium cum melle decoctum suspiriosis & tussientibus eo modò à medicis præscribitur. Marcellus capite XVI. *marrubii fasciculum bonum in aquæ congio ad medias decoque, & ex eâ aquâ adjecto mellis aliquantulo, jejunus quotidie, donec tussire desinas; bibe: omne genus tussis efficaciter curabis.* Sic colligo ex Dioscoride περὶ πρασίου. Τούτου τὰ φύλλα ξηρὰ σὺν τῷ σπέρματι ἑψόμενα σὺν ὕδατι ἢ χυλιζόμενα χλωρὰ, δίδοται, μετὰ μέλιτος φθισικοῖς, ἀσθματικοῖς, βήσσουσιν. medici tres tussium species vulgò numerant; subitam, diutinam, & vetustam, de quibus Marcellus est intelligendus.

DIGESTIONI ET STOMACHO MEDENDO.

QUi stomachum regem totius corporis esse Contendunt, verâ niti ratione videntur.] Liber

Digitized by Google

avitus : *verè niti ratione videntur.* forsan, *veri niti ratione videntur.* Sed illud, *verè niti ratione videntur*; ut, *longè Phasidos esse viam*, apud Propertium. Ad rem Theodorus Priscianus lib. II. cap. XXIX. *Stomachus omnium membrorum sortitus est dominium, reliquorum sibimet famulantium potestas.* Vide egregium in hanc rem locum apud Aretæum libro II. cap. VI. Plinius Valerianus lib. II. cap. XXIII. *ipsum olus inter cibos manducet, hoc enim ventrem sine ullo dolore pungit, & patrem familias non corrumpit.*

Aut contra ejusdem franguntur cuncta dolore.] Sic rectè scriptum est, nec alia varietas apparet in scriptis aut editis, ut & ante me Barthius vidit, qui dignè Mercurialem incusat, quod tautologiæ Serenum damnaverit, ita ultimum producendo :

Et contra ejusdem firmantur cuncta vigore.

quem ne quis incautior defendere velit, sciat ut alii nobiscum observarunt, ita laudari versus hos in policratico librò VI. cap. XXIV. Joh. Sarisberiensis.

Pulegium quoque decoctum curabit amicè.] nauseas & stomachi intercisiones. ναυτίας καὶ δηγμοὺς στομάχου, ut habet Dioscorides : quarè nihil hic forte mutandum. Est tamen indemnis avita lectio membranarum : *Puniceum quoque decoctum, curabit amicum. Puniceum* è malis punicis compositum, ut alibi de malicorio :

Punicæque indes pelli, colloque ligabis.

ubi frustra sunt, qui aliud adducunt, interpretes. Actuarius latinè redditus libro V. cap. VII. de methodo medendi : *& Punicis malis compositio stomatica : malorum Punicorum dulcium, acidorum & austerorum, singulorum libræ duæ, mellis libræ sex.* indubiè corrigendum : *ex punicis malis compositio stomachica.* quod perperperam verterunt interpretes. Græca sonant : τὸ διὰ ῥοῶν στομαχικόν. Sic σωματικὴ λασαλίβα, pro στοματικὴ λαξαλίβα, frequens in libris medicorum.

Seu

Seu cochleas undis calefactas, ac prope victas] Id eſt, *nondum domitas*, ut eleganter interdum loquitur. Inter eas, tam terreſtres quam marinas Græci numerant, licet marinas anteferat Serenus. Dioſcorides περὶ κοχλίου χερσαίου. κοχλίας χερσαῖος εὐστόμαχος, δυσφθαρτος. & infra: ὁ θαλάσσιος εὐστόμαχος καὶ εὐέκκριτος. Athenæus περὶ τῶν κηρύκων τραχήλοις. ἑψόμενοι τὸ καθ' ἑαυτοὺς καὶ οἱ τράχηλοι τῶν πορφυρῶν εὐθετοῦσι πρὸς τὰς τῶν στομάχων διαθέσεις. de genere purpurarum ſumes, quæ ſtomacho & digeſtioni conducunt, & quas *trachelos*, τοὺς τραχήλους Græci vocant. Heſychius, τραχήλους, τὰς πορφύρας. addit, ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων, *quidam interpretantur de vertebris conhiliorum.* Has partes fuiſſe ad cibum expetitas idem Heſychius exponit in Ταραντῖνοι. Petronius: *mox cibis validioribus paſtus, id eſt, bulbis, cochlearumque ſine jure cervicibus* (τοῖς τραχήλοις) *hauſi parcius merum.* Vide Caſaubonum ad Athenæum.

Vinoque garoque Perfuſas cape] οἰνόγαρον intellige, garum vino mixtum. Οἰνογάρου καθαρτικοῦ compoſitionem habes apud Aëtium libro III. cap. LXXXX. Marcellus eodem medicamento: *Stomacho laboranti cochleæ proſunt ſi in aqua ferveant, & ſic carbonibus torreantur, atque ita ex ænogaro ſumantur impari numero.* Scribo, *ex œnogaro.* intelligit enim garum vino mixtum, οἰνόγαρον. frequens ejus mentio apud Apicium.

At malè digeſtis ſi crapula ſæviet eſcis] *ſæviet*, id eſt, ſingultit. Præſcribitur enim medicamentum εἰς λυγμὸν στομάχου. Græci medici perperam confundunt σπασμὸν στομάχου, & λυγμὸν: quæ neceſſario ſunt interſtinguenda.

Ex pipere & calida florem de rore marino.] *florem*, τὸ ἄνθος λιβανωτίδος ſive δενδρολιβάνου. Græcis ἄνθος ſimpliciter *florem* notat, ſequioribus & Actuario τὸ ἄνθος

ἄνθος διενδρολιβάνου. ideò geminè Serenus ſcripſit, *florem de rore marino.*

Ebibe : ſeu ſalibus piper adde & tenue cuminum.] Non eſt quod habeat avitus : *lene cyminum*, quod à Marcello videtur eſſe mutuatum : *Pulegiumve potens, nec non & lene cyminum.* *Tenue cuminum* à Sereno eſt, ut à Virgilio :

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.

Rhemnius Palæmon :

Conveniunt, tunc major erit quæ tenuior unda eſt.

proceleusmaticus pro dactylo, quam rem quotieſcunque faciunt Poëtæ, ſervant locum συνιζήσει. Eſt autem *tenue cuminum*, κύμινον ἄγριον. Dioſcorides : ἔστι δὲ θαμνίον ἔχον καυλὸν σπιθαμιαῖον, λεπτὸν, ἐφ' οὗ φυλλάρια δ'. ἢ ε'. οἱονεὶ πεπρισμένα, τῶν καθίχελσιν ὡς γιγγίδιον. Sic opponitur πλατυκυμίνῳ. convenit autem ſtomacho humoribus æſtuanti. Vide eundem Dioſcor. III. cap. LXIX.

Quæ coctis tinges epulis, & rapta vorabis.] Sic optimi librorum referunt, quomodo placet omnino legendum. Præſcribit enim medicamenta, quæ inter cætera obſonia & edulia uncta poſſunt conſumi & deglutiri. nam *tingere coctis epulis*, eſt iiſdem ungere, & uncta comedere. Sic *tingere in aceto lactucam* Cato dixit ; quod Græci dicerent χρωματίζειν ὄξει & χρωννύειν. Perſius : *tingat olus ſiccum muria vafer.* ubi *ſiccum* opponitur *uncto.* quarè minus benè : *quæ coctis tanges epulis*, libri viliores exhibuerunt. Eſt autem *vorare* deglutire, ut apud Plinium Valerianum libro II. cap. XXV. *nam cum ſit horridius verbum vorare, tamen & in mollibus ponitur.* quod ſemel in Sereno notandum.

Aut cubitum pergens ſuccum cape triſtis aceti.] Vera eſt hæc lectio, nec altera minor, quæ tamen non in avito membranaceo, ſed editione Molinianâ ceteriſque comparuit : *ſuccum cape triſtis anethi.* Sic Græci de

de aceto loquuntur, quibus omnibus est εὐστόμαχον καὶ εὐόρεκτον. Heraclides Tarentinus de aceto loquens: καὶ τὰ ἐν κοιλίᾳ τὰ ἐν τῷ ὄγκῳ διαλύει. Vide Dioscoridem περὶ ὄξους, & περὶ σκιλλητικοῦ ὄξους. nec aliter de anetho, quos inter Simeon Sethi: διαφορητικόν ἐστι καὶ ὠμῶν ὄγκων πεπτικόν. Marcellus Empir. *ad digestionem parandam anethi semen etiam viridis manducatum juvat.* quæ lectio, cum de aceto suprà Serenus dixerit, hic videtur arripienda.

Ventriculis mergi raptus sal tritus & ustus
Tosto pane super —] Hæc indubiè mendosa sunt. Liber avitus & alter Stephano collatus habent:

Ventriculis mergi tostus sal tritus & ustus, &c.

Scribo & distinguo:

Ventriculis mergi tostis, sal tritus & ustus
Tosto pane super, piperis quoque pulvere multo
Miscetur: capies divinum munus in istis.

Sic omnia clara sunt ex Aëtio latinè facto de ventriculo mergi: *mergi ventrem torrefactum & sali modico admixtum crudis bonam concoctionem facere tradunt.*

Proderit hoc stomacho, victas & concoquet escas: Et concoctioni conducet & digestioni. Vulgò malè secus interpretantur. Græci etiam medici malè confundunt διοίκησιν & κατεργασίαν, digestionem & concoctionem. Galenus in ilagoge: εὐδιοίκητα τε καὶ εὐαναδότα καὶ εὐστόμαχα. Idem: σιτωδῶν καὶ εὐδιοικήτων. Ægineta libro III. καὶ τροφαῖς εὐδιοικήτοις τε καὶ ἀπερίττοις χρώμενον.

Grana peregrini piperis diffundito quinque
Niliaco melli, quæ mane inserta capesses.] Cum de trito piperis pulvere loquatur, maliem *diffindito* pro *diffundito.* quod alii librorum exhibuerunt. Sed altero versu magè variat liber avitus & Pithœanus:

Nicolao molli, quæ manè inserta capesses.

ubi in impressis: *Hiblæo melli*, & *Niliaco molli* scriptum

ptum eſt, ut idem Pithœus adnotavit. *Nicolao*, pro *Niliaco* tranſpoſitio literarum eſt ab imperito librario concepta & exarata. *molli* etiam pro *melli*, frequens lectio in membranis occurrit. Nihil autem mihi videtur immutandum: *mel Niliacum* eſt Ἀττικὸν & ὑμήττιον, quod principem locum in medicina tenet, ut habet Dioſcorides.

FELLI, VOMITUI, VEL PHTHISI ARCENDIS.

L *Lutea ſi creſcunt & cunctis noxia fella*] Placet avitis membranis volentibus:

Lutea ſi creſcunt & fundis noxia fella.

facilis inverſio literarum, *fundis* pro *cunctis*. lutea autem fella *fundis*, orificio ſtomachi noxia, malè exponuntur. Græci καρδιακαιομένους vocant, qui propter bilis copiam ardore ventriculi vexantur. Galenus libro VIII. de compoſitione med. cap. III. ἔγκαυσιν τοῦ στομάχου hoc malum vocat. Sic veriſſimè reſtituimus.

Quæ cyatho diluta gari mandeſque, bibeſque;] Senſus eſt ex equentibus verſibus eliciendus: neque hæc per ſeſe ſatis aperta ſunt. Igitur ſambuci cauliculi teneri decocti cum oleo & garo manducati, atræ bilis & rufæ tædia ſolvunt. In iis verſibus quà legendis, quà exponendis, non videtur omnino ſerenus eſſe Serenus. Lucidior eſt Marcellus capite XXX. de medicamentis.

Proſunt & pelagi latices, quos pondere juſto
Dulcibus aſſocias lymphis, mellique liquenti.] Tam ad ventris quam bilis dejectionem, eam potionem præſcribit ille Marcellus, in quo tamen notandum, eum *ſales marinos*, pro aqua marina videri dixiſſe. *Pelagi latices* & *Doridos humor*, dixit Serenus. Infrà:

Prodeſt

Digitized by Google

Prodest & potus sed mulsus Doridos humor. πλατὺ ὕδωρ Græcis opponitur *aquæ dulci*. Athenæus: διαφέρει δὲ καὶ γλυκὺ ὕδωρ ἀπὸ πλατέος. Hesychius: πλατὺ ὕδωρ, τὸ ἁλμυρόν. appellat libro V. cap. XIX.

Si tepido vinum infundas, ac mella piperque,] Non, ut in Molinianâ: *Si tepido vino infundas.* medicorum commistioni repugnat.

At vomitum radix narcissi pota movebit.] Ναρκίσσου ἡ ῥίζα βρωθεῖσα ἑφθὴ καὶ ποθεῖσα, ἐμέτους κινεῖ. quod longius erat, quàm ut uno versu comprehenderetur. Videatur Serapion aggreg. cap. CLXXXVIII. & Dioscor. adductus, lib. IV. cap. LV.

Carne asinæ, sevoque capræ medicina salubris.] Scribo: *Lacte asinæ.* larte disertim in avito. nec enim asinæ caro, sed lac phthisicis, ab antiquis medicis præscribitur.

MAMMIS SANANDIS VEL STRINGENDIS.

Ubera fœcundo multum lactantia succo
Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt.]Ad oram libri à Stephano curati, *lactentia* lego excusum, quod alteram ei lectionem præbuit, sed absurdam & ineptam. Ubera lacte abundantia, & mammæ ob lactis copiam dolentes & inflammatæ (σπαργῶντας eas Græci vocant) *lactare*, non *lactere*, quod lac sugentium est, dicuntur. *Succum* autem de lacte venustè posuit, ut alia, poëta medicus. Capite præcedenti:

Et niveus prodest ex ubere succus asellæ.

Glossæ medicæ: γάλα, *succus*. Aliæ: *succus* ὄψον τι διὰ γάλακτος. Sic μίλκην exponit Ægineta: μίλκη autem iis lac est unde nostrum *melk*, & *milko* Dalmatarum. Lacte autem ut succo nutrimur, sanguine vivi-

vivimus: inde *ſuccum* pro lacte dixerunt; ſuccus enim eſt, quod alimenti cauſa ſugitur.

Fæce igitur validâ duri reprimentur aceti.] *Reprimentur*, id eſt, ſtringentur: inde lemmate ſcriptum, MAMMIS STRINGENDIS. Gloſſæ Cyrilli, *σφίγγω*, *ſtringo*, *preſſo*. Heſychius, *στραγγίζει*, *πιέζει*. Dioſcorides eo remedio *περὶ τρυγὸς ἀπὸ ὄξους. μαστούς τε σπαργῶντας ῥέοντας γάλα σβέννυσι σὺν ὄξει καταχρισθεῖσα.* *σβέννυσι* id eſt, *reſtinguit*, unde forſan aviti libri lemma: MAMMIS SANANDIS VEL RESTINGUENDIS. quod ſic poſſet defendi. Plinius XXIII. cap. II. *mammas lactis ſui impatientes extinguit*:

Poſt partum tumidas injuſtè aſſurgere mammas] *Injuſtè*, id eſt, affectione præter naturam: Sic *γυναικομαστὸν* ab eâ diſtinguit, quod incrementum augetur pinguedine mammarum. Infra:

Menſtruus injuſto ſi profluit impete ſanguis.

Sic ibidem legendum, non *immenſo*, docebimus ex avito. Plinius lib. XXX. cap. XIV. *Fimum murinum aqua pluvia dilutum mammas mulierum à partu tumeſcentes reficit.* Et ibidem de lumbricis: *Vermes terreni per ſe impoſiti, mammarum ſuppurationes concoquunt & aperiunt, extrahuntque & ad cicatricem perducunt.* quarè miror, hic à Pictorio legi:

Marinus fimus ex pluvio ſedare liquore:

& ineptiſſimè de ſpuma maris exponi, de qua Galenus XI. Simpl. Serapio aggr. cap. CCCLXXVIII.

Lumbricis terræ turgentes unge corymbos] *turgendas* malè liber avitus: mendum etiam in genere. non enim *ἡ κόρυμβος* dicitur. Columella de cinara carduo:

Hæc modo purpureo ſurgit glomerata corymbo.

corymbos appellat hederæ baccas. Malè quidam hic per *corymbos*, *τὰς θηλὰς* exponunt, ipſas papillas intumeſcentes. Omne quidem rotundum protuberans, anti-

Digitized by Google

antiqui κόρυμβον dixêre, ſed illud hic locum non habet, ut illi pueriliter voluerunt. Ego interim pergam τὺς ἐμὺς κορύμβυς πλέκειν.

Si caſtigatas ſtudium eſt præſtare papillas,] Remedium φυσικὸν & arcanum: qualia ſexcenta Sereni & veterum medicorum. *Caſtigatas mammas* expoſuit Hier. Mercurialis libro V. cap. III. Var. lection.

Anſeris aut ſevum pariter cum lacte tepenti,
Aut ovum illinito, tulerit quod garrula perdix.]

Scribo fide membranarum, & interſtinguo:

Si caſtigatas ſtudium eſt præſtare papillas,
Ex hedera ſertis ambas redimire memento,
Protinus & raptas fumis mandare coronas:
Anſeris aut ſevum par: ter cum lacte tepenti
Aut ovum illinito, tulerit quod garrula perdix.

Iterum enim ex ſuperſtitioſâ medicina loquitur. Plinius ubi ſupra: *mammas à partu cuſtodit adeps anſeris cum roſaceo & araneo.* & ſtatim: *ovorum perdicis putaminum cinis, cadmiæ mixtus & ceræ, ſtantes mammas ſervat. Putant & ter circumductas ovo perdicis, mox inclinari. ter circumductas*, id eſt, ter illitas; qui numerus magicus & arcanus. Malè legitur ad oram libri Moliniani curante Gryphio:

Aut ovum impoſitum, tulerit quod garrula perdix.

Vis & Phœbigenæ cœleſtia ſumere dona] Æſculapium Apollinis filium intelligit, quem initio carminis invocavit; non autem Circen, ut exiſtimavit Pictorius. Suprà:

Vis & Phœbigenæ divinam noſcere curam.

Ubera cum tetris laniata doloribus urgent?] Hoc remedium iterum præſcribitur mammis à partu tumeſcentibus, & præter naturam *urgentibus*, id eſt, augentibus. *urgent* igitur, melius quàm *horrent*, libri referunt.

Navis ramentum, & quæ nomine praſſion herba eſt.]

Navis ramentum, id eſt, *raſum de navibus unguen*, ἡ ζώπισσα. Infrà:

Mollitamque picem, & raſum de navibus unguen.

τὴν ζώπισσαν Græci vocant, & ἀπόχυμα. Dioſcorides libro I. cap. XCIX. ζώπισσαν δέ οἱ μὲν, εἶπον τὴν ἐκ τῶν πλοίων ξυομένην ῥητίνην μετὰ τοῦ κηροῦ, καλουμένην ὑπὸ ἐνίων ἀπόχυμα, οὖσαν διαχοπτικὴν διὰ τὸ ἐν τῇ θαλάσσῃ βρέχεσθαι. οἱ δὲ, τὴν πιτυΐνην ῥητίνην οὕτως ὠνόμασαν. Cera autem & pice naves ungebantur. Seneca libro VII. de beneficiis: *cui triremes & ceratas mitterem.* ubi *æratas* ſcio lectum: ſed *ceratas* rectum puto ex illo poëtæ libro ſecundo de remedio amoris:

Nec ſatis una tenet ceratas anchora puppes.

Vegetius libro IV. capite trigeſimo ſeptimo: *cera etiam, quâ ungere ſolent naves, inficitur.* Inde κηρὸν pro cera & pice mixta Græci accepêre. Lucianus in dialogo Mercurii & Charontis: καὶ κηρὸν ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Arrianus in periplo maris Euxini: ἀλλὰ καὶ οἱ ἧλοι. καὶ ὁ κηρὸς ἀπεξύσθη, ὡς μηδενὸς ἄλλου ξύλων δεῖσθαι ναυπηγησίμων.

Græcos hyoſcyamon propria ſcito dicere linguâ.] Tres ejus differentias Græci notant, quarum duæ *inſaniam* gignunt & ſoporem: Dioſcorides περὶ ὑοσκυάμου. ἀμφότερον δὲ οὕτοι μανιώδεις ὑπάρχουσι καὶ καρωτικοὶ, δύσχρηστοι. Tertium genus, ut quod initiſſimum eſſet, medici recepêre. Idem contra μαστοὺς ἐν τοκετῷ ἐπηρμένους illud commendat, at diverſis medicamentis adjunctis. Sed plura ejus genera Plinius enumerat libro XXV. cap. IV. *Quæ Apollinaris, apud Arabas altercum, ſive altercangenum, apud Græcos vero hioſcyamus appellatur. Plura ejus genera; unum nigro ſemine, floribus pene purpureis, ſpinoſum. Talis naſcitur in Galatia. Vulgare autem candidius eſt & fruticoſius, altius papavere. Tertii ſemen irionis ſemini ſimile, & omnia inſaniam gignentia, capitiſque vertigines. Quartum*

genus

genus molle, lanuginosum, pinguius ceteris, candidi seminis, in maritimis nascens; hoc recepêre medici.

Mista dabunt miras (experto crede) medelas.] Alibi.

Quæ mihi cura satis casu monstrante probata est.

Sic passim cum cæteris medicis, medicamentis suis ab experientia fidem commendat; quod præter antiquos illos etiamnum agyrtæ & hodierni circulatores faciunt, quibus nihil magis solenne, quàm PROBATUM EST, mercibus suis laudandis adhibere.

REJECTIONI CIBI AUT SANGUINIS RESTRINGENDÆ.

NEscio, an in ullo librorum editorum rectè lemma conceptum sit, quemadmodum in avito cæterisque manuscriptis exaratum, fuisse, nos cum doctissimis viris adnotamus. Ultimam vocem, substituta meliore relegandam, primus, quod sciam, Pithœus in advers. subc. monuit; postea Salmasius ad Solinum, qui & alteram explicuit. In veteri avito scriptum lemmate rubricato, charactere Longobardo: AD MEDENDAM REJECTIONEM CIBI VEL SANGUINEM STUGGANDUM. Quod idem Pithœus in optimo suo exemplari observat, sed immutata postrema voce STANCANDUM, & ille fortasse tam rectum suspicatur, quàm illud *cambire* apud Priscianum, quo & Apulejus utitur. *Stuggandum* pro *staggandum* fortè scriptum fuit, nam *u* & *a* planè iis literis confunduntur, vel pro *stagnandum*, vel *stancandum*, vel *stangandum*, ut exponit Salmasius. *Stangare* recentior latinitas pro *stagnare* dixit; ut στάγγον ἀντὶ τοῦ στάγνον

Græci poſteriores. inde Corona pretioſa apud Meurſium: σάγγος ſtannum. Eſt autem *ſtancare* vel *ſtangare* ſanguinem, ſtagnare, στγνοῦν, & ſanguinem ſiſtere, ne fluat. Quod idem Salmaſius ad Solinum obſervat, & in quadam epiſtola ad Joan. Fred. Gronovium. Medici, qui diſtinguunt inter rejectionem & dejectionem ſanguinis reſtringendàm, τὰ ἀναφορικὰ vocarunt ea medicamenta, quæ ſanguinem ex infernis partibus ſublatum per os rejiciunt. Gloſſæ: ἀναφορικοὶ, οἱ αἱμοπτυϊκοί. Quæ verò ſanguinem ſtangant & reſtringunt, τὰ ἴσχαιμα dixerunt. Gloſſæ latius ἴσχαιμον exponunt ἔναιμον καὶ τραυματικὸν φάρμακον. Ea medicamenta ſiccare debent, & circa abſterſionem leniter adſtringere. Hæc autem extrinſecus adhibentur, neque ad hanc ſanguinis rejectionem reſtringendam faciunt. Cæterum in libris Sereni typis editis antiquioribus, ut & editione Salingiacenſi, quæ prodiit ad annum MDXXXIIX, non aliter illud lemma comparet, ac nos edidimus. Quod ex ignorantia ſi forte librarii productum eſt, qui veterem & ſinceram voculam non intellexit, & alia reſtituenda tam impune peccavit. Perperam etiam in margine Gryphiani libri, quem cum Celſo typis edidit, *abſtinendæ* pro *ſtancandæ* legitur: quod eo ſenſu me non capere fateor.

Et magis atque magis vitium revomendo valeſcit.] Libri viliores:

Et magis atque magis vitiis recolendo valeſcit.

Continuo vomitu ſtomachus labefactatur, & vitium magis invaleſcit. ἔμετον id Græci vocant, *reſolutionem* Latini. Gloſſæ medicæ, ἔμεως, ἐμεῖσθαι. ἔμεως, nomen Atticum, occurrit apud Hippocratem. Tres ejus plerunque cauſas medici numerant, ἀπεψίαν, βραδυπεψίαν & δυσπεψίαν. Marcellus *ſolutum ſtomachum & omnia rejicientem*, appellat.

Allia

Allia cedemus, crebrumque trahemus odorem.] Inter πεπτικὰ φάρμακα τὸ σκόροδον etiam Græci numerant. alii librorum habent, *tetrumque trahemus odorem*, id est, gravem & difficilem. meliores:

Allia cedemus, cerebrumque trahemus odorem.

Fortè: *cerebroque trahemus odorem.* id est, ad cerebrum.

Sin etiam rutilus fertur de pectore sanguis] Falluntur alii, qui *rutilum sanguinem* non ἐρυθῆ, sed ὑπερυθῆ, non rubrum, sed rubenti affinem exponunt. In secundo Galeni θεραπευτικῆς μεθόδου, ceu affines colores ponuntur ὑπερυθρὸς & λευκὸς ἀκριβῶς. Dioscorides de veneno araneorum: ὁ τόπος, ait, ὑπέρυθρος φαίνεται. quod statim ipse interpretatur, μετρίως ὑπέρυθρος, ut valdè dilutam rubedinem intelligat, quæ non sit ἐρυθρὰ sed ὑπέρυθρα, & id quoque μετρίως. Cicero Attico: *angebar, quod Tyro* ὑπερυθρότερον *te sibi esse visum dixerat.* Nihil hæc ad Samonici sensum, cui *rutilus*, leve & nudum est sanguinis epitheton. Dioscorides de mentha loquens, eodem consilio, succum ejus ex aceto potum, *sanguinem* solùm sistere tradit ὅθεν αἷμα ἵστησι πινόμενος ὁ χυλὸς αὐτοῦ μετ᾽ ὄξους. Sic cæteri medicorum filii ad *sanguinis* eruptionem, sive ex arteriâ, sive ex pulmone vel pectore, eadem præscribunt, nec inter *sanguinem* ullum distinguunt. Nec placet, quod in aliis excusis legitur:

Sin etiam rutulus confertur pectore sanguis.

quasi hæ duæ affectiones sese mutuo concomitantes intelligi debeant: quod est absurdum.

Sorbitium menthæ, raphanus vel cocta juvabit] In avito, cæterisque vetustis: *Sorbitio menthæ.* id est, menthæ succus sorbitio sumptus, ὁ χυλὸς ἐν ῥοφήματι πινόμενος, αἷμα ἵστησι. Optimi codicis γραφὴ sic potest defendi.

Sæpe lapis teritur, (specularem nomine dicunt)

 Et

Et miſtis hauritur aquis, ſiſtitque cruorem.] Ægineta libro VII. capite tertio: σπεκλάριον, οἱ δὲ διὰ τοῦ φ, σφεκλάριον ᾧ τινες ἀντὶ σφίκλων ἐν ταῖς θυρίσι χρῶνται, διὸ καὶ διαφανὲς προσαγορεύεται. Alii διόπτρον vocant. Heſychius: διάθρον, διαφανὲς, διόπτρον. διόπτρα eſt ſpecular, per quod videtur; κάτοπτρον, ſpeculum, in quo videtur. Gloſſæ Jatricæ: διαφανὲς, γύψῳ ὅμοιον ὃ καλεῖται σφεκλάριον. Neophytus monachus in lexico herbario: σπίκλον τὸ τοῦ φεγγίτου ὑέλιον. hoc eſt, *vitreum ex ſpeculari* lapide. Suidas: σπίκλον (fortè σπίκλαρ) ὑέλιον. Immo ὕαλον, lapidem ſpecularem vocarunt antiqui Græciæ auctores, ſi fides Ariſtophanis Scholiaſtæ in hiſce verbis ad Nubes: ἡμεῖς μὲν ὑρτίως τὸ ἐκ βοτάνης τινὸς κεκαυμένης, καὶ διὰ πυρὸς πηγνύμενον εἰς κατασκευήν, ἀγγείων τινῶν λέγομεν, οἱ παλαιοὶ δὲ τὸν διαφανῆ λίθον αὐτὸν ἰδιωτικῶς λεγόμενον κρύον, ἐσικότα ὕαλα. Plinius de Hiſpania: *ſcatet citerior ſpecularibus lapidibus*. Viri doctiſſimi non rectè lapidem ſpecularem, φεγγίτην exponunt. Sanè Græci φεγγῆ καὶ σέλβας ſpecula vocarunt, quorum teſtacea lumina in interiori teſta reſplendebant. Hæc ὄμματα νυμφῶν Aurel. Victor appellat. Clemens Alexandrinus de margarita loquens: γίνεται δὲ οὗτος ἐν ὀστρίῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις: μέγεθος δὲ ἡλίκιος ἰχθύος. ὀφθαλμὸς εὐμεγέθης.

Uritur interdum raptus de robore cortex,
Et cinis ex calido prodeſt epota Lyæo.] Scribe volentibus membranis:

Uritur interdum raptus de ſubere cortex,
Et cinis ex calido prodeſt epota Lyæo.

Plinius libro XXIV. capite quarto: *Suberis cortex tritus, ex aqua calida potus, ſanguinem fluentem ex utralibet parte ſiſtit. ejuſdem cinis ex vino calido, ſanguinem excreantibus magnoperè laudatur.* Perperam igitur ſequente verſu legit avitus codex:

Et cinis Italico prodeſt epota Lyæo.

quod

quod fortaſſè ex Æginetæ libro III. cap. LXII. poſſet adſtrui, ubi ſuberis ex Italico vaſe uſti cinerem commendat ad nimiam ſanguinis eruptionem ſiſtendam. Nihil tamen nobis videtur immutandum. Infrà Serenus, ubi de profluvio cujuſque ſanguinis aut matrici ſubveniendis:

Sed quacunque fluit vis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis.

Cinis epota, dictum eſt ἀρχαϊκῶς, genere ſecundo. Infrà: *Tum lixiva cinis ceras diſſolvit & ova.* Calvus apud Cariſium: *Cum jam fulva cinis fueris.* Idem: *Forſitan hoc etiam gaudeat ipſa cinis.* Catullus: *Troja virûm & virtutum omnium acerba cinis.* Scribonius Largus cap. CCXXX. *lixiva cinis*, & alibi. Gloſſæ: *lixiva cinis*, σταкτὴ κονία. Placet etiam emendatio Scaligeri apud Poëtam in Ciri:

Non minus illa tamen revehi quoque mœnia Cretæ
Gaudet: at ei cinis eſt patriæ jucunda ſepultæ.

Arnobius libro VII. à Stewechio correctus, *antiquæ cineris frictione*, dixit: vulgó malè *antiqua* legitur. multa in illo ſunt ἀρχαΐζοντα, ut nos aliquando demonſtraturi ſumus.

Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique mellis,
Aut manſus ſalicum fructus prodeſſe putatur.] Hæc etiam mendoſa ſunt & affecta. In eodem avito ſcriptum invenio: *Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique molis,*

Aut cineris ſalicum ramis prodeſſe putatur.

Reſcribo veriſſima conjectura: *aut denique mælis,*

Aut cinis è ſalicum ramis prodeſſe putatur.

quæ corruptiſſima aliàs leguntur: *aut cinis ſalicum rami.* vel, *aut cinis ſalicum ramis*, ut ad oram ſuarum editionum viri docti notarunt. *Mælis* etiam pro *melis* antiquè ſcriptum in illo libro. Varro de R. R. *ne mæles aut feles aliave quæ beſtia intrare poſſit.* ita

 legen-

legendus est ille Varronis locus ex libris vetustis. Gratius:

——— *lucifugæque ex macle galeros.*

rectè correctores *mæle* reposuerunt ex Hesychio: κυνάγχαιος περικεφαλαίας. καὶ κτὶς δὲ ἐστὶ ζῶον ὅμοιον γαλῇ, οὗ τὸ δέρμα τεύχουσιν εἰς περικεφαλαίας. Infra Serenus:

Nec spernendus adeps, dederit quem bestia mælis.

Sic ibidem legit avitus.

Aut platani pilulas acri infundemus aceto.] *polulas* pro *pilulas*, ἀρχαϊκῶς scriptæ schedæ. *pollam* antiquiores dicebant; quam nos *pilam*: inde *polulæ* & *pollulæ*, τὰ σφαιρία. Festus: *pollit, pola ludit.* id est pila ludit. πάλλα dicebant Æoles pro πάλλα unde *pila* Latinorum. Hesychius: πάλλα, σφαῖρα ἐκ ποικίλων νημάτων πεποιημένη. Meminit Ægineta libro IV. cap. LIII. τῶν πλατάνων τῶν σφαιρίων ὁ χνοῦς, μάλιστα ὅτε τὴν ἐπίπαγον ἀποβάλλῃ. ubi τῶν φαιρίων scio lectum, ἀντὶ τῶν σφαιρίων. Sic φαιρίζειν dicebant, pro σφαιρίζειν, & alia Græcanici. Sic *perulam* pro *sphærula*, quæ σφαιρίον Græcorum, recentiores Latini. *Acre* autem *acetum*, non omne est, sed magis σκιλλητικὸν. Plinius libro XXIV. cap. VIII. *Platani pilulæ tusæ cum aceto acri, magisque scillite sanguinem omnem sistunt.*

JECORIS ET LATERIS VITIIS MEDENDIS.

PRotinus ex mulsâ potanda elelisphacus herba est.] *elisphacus herba*, ἐλίσφακος & ἐλελίσφακος, indifferenter dicebant. Glossæ: *salvia*, ἐλίσφακος, ἐλαφόβοσκος. Plinius: *nostri, qui nunc sunt, herbarii elelisphacon Græcè, Latinè salviam vocant.*

Sumitur & semen quod fraxinus alta profudit.] *Fraxinus* id est, fraxini folia. Plinius XXIV. cap. octavo.

Semen

Digitized by Google

Semen foliis ejus ineſt, quo medentur jocineris & lateris doloribus in vino.

Egelidis miſcentur aquis, recreantque bibentem] Quid ſi diviſim legas. *E gelidis miſcemur aquis.* hoc eſt, *ex* ſive *cum* gelidis aquis propinantur. *miſcentur* eſt bibuntur, vel bibenda dantur. Juvenalis Sat. V.

> ——— *neſcit tot millibus emptus*
> *Pauperibus miſcere puer* ———
> *Si latus immeritum morbo tentatur acuto,*

Accenſum tinges lapidem ſtridentibus undis] Alii libri:

> *Si latus immeriti morbo tentatur acuto,*
> *Accenſum tingis lapidem ſtridentibus undis.*

Viliores: *accenſum tingens lapidem.* Infrà Serenus.

> *Igne lapis candens datur exultantibus undis,*
> *Hoc poteris potu triſtem ſuperare dolorem.*

acuto morbo medicè dixit Poëta medicus. Celſus de laterum doloribus: *oriturque acutus morbus, qui pleuriticus à Græcis nominatur.* σφαλερὴν πλευρῖτιν. Philo vocat in epigram. ſequenti.

Quid referam multis compoſta Philonia rebus?] Quæ Philo ferè Græcis hujuſmodi verſibus eſt complexus:

> Ταρσέος ἰητροῖο μέγα θνητοῖσι Φίλωνος
> Εὕρεμα πρὸς πολλὰς εἰμὶ παθῶν ὀδύνας.
> Εἴτε κόλον πιέζει τις, ἄναξ ὀδύνης, εἴτε τις ἧπαρ.
> Εἴτε δυσουρίῃ ἴσχεται, εἴτε λίθῳ,
> Ἰῶμαι καὶ σπλῆνα, καὶ ὀρθόπνοιαν ἀνιηρὴν,
> Καὶ φθίσιν. ἰῶμαι σπασμὸν ἐπειγόμενον,
> Καὶ σφαλερὴν πλευρῖτιν. ἀποπτύουσι δέ τις αἷμα
> Ἢ ἐμέων, ἕξει μ' ἀντίπαλον θανάτου.
> Πάντα δ' ὅσα σπλάγχνοισιν ἐνίσταται ἄλγεα, παύω,
> Βῆχά τε καὶ πνιγμὸν, λύγγα τε καὶ κατάρρουν.
> Γέγραμμαι δὲ σοφοῖσι. μαθὼν δέ τις, οὐ βραχύ μ' ἕξει
> Δῶρον· ἐς ἀξυνέτους δ' οὐκ ἐπόθησα περᾶν,

Ξανθὴν μὲν τρίχα βάλλε μυρίπνοον ἰσοθέοιο,
　Οὗ λύθρος ἑρμείαις λάμπεται ἐν βοτάναις.
Κρόκου δὲ σταθμὸν φρένας ἀνέρος. (οὐ γὰρ ἄδηλον)
　Βάλλε δὲ καὶ δραχμὴν ναυπλίου εὐβοίας.
Καὶ τρίβον ἐν τρώεσσι μενοιτιάδαο φονῆος
　Δραχμὴν, τὴν μήλων γαστέρι σωζομένην.
Ὀλκὰς δ' ἀργυφοῖο πυρώδεος εἴκοσι βάλλε,
　Εἴκοσι καὶ κυάμου θηρὸς ἀπ' ἀρκαδίης.
Δραχμὴν καὶ ῥίζης ψευδωνύμου, ἣν ἀνέθρεψε
　Χῶρος ὁ τοῦ πίσση ζῶα λοχευσάμενος.
Πῖον δὲ γράψας, ἄρθρον βάλε πρῶτον ἐπ' αὐτῷ
　Ἄρρεν. ἐνὶ δραχμαῖς πέντε δὶς ἑλκόμενον.
Νᾶμα δὲ θυγατέρων ζωόρων καὶ κικροπίδεσσι
　Συγμένες, οἱ τρίκκης ὡς ἐνίπουσιν ἐμοί.

Eos nos aliquando Latinè vertimus; ſed Gorræo nunc interprete contenti, venuſtè redditos apponemus.

En ego languores multos mortalibus ægris
　Nobile Tarſenſis pello Philonis opus.
Si colon aut hepar, lapis aut urina retenta
　Infeſtat; ſatis eſt exhibuiſſe ſemel.
Et ſplenem, & recta flatum cervice trahentes,
　Spaſmum, & quæ languent corpora tabe, levo.
Pleuritim nocuam, vomitus & ſputa cruoris
　Si quis habet, morti protinus hoſtis ero.
Quæ mala viſceribus latitant, tuſſim atque catharrum,
　Singultus, & quod ſtrangulat omne fero.
Me ſcripſit doctis, ſi quis me noverit. ingens
　Donum habet: in ſtolidas nolo venire manus.
Spirantem, & rutilum pueri crinem accipe, cujus
　Mercurii in plantis ſanguinis unda micat.
Pondus erunt ſenſus hominis: notiſſima res eſt.
　Nauplii & una ſimul drachma ſit Euboici.
Quique Menœthiadem letho dedit, illius unam
　Drachmam, quam clauſam ſervat ovinus uter,

His

His albi igniti bis denas adjice drachmas,
Atque fabæ totidem sint suis Arcadicæ.
Drachmaque radicis falsò dictæ unica, natæ
In Pissa Jovem ubi delituisse ferunt.
Cumque pion scribis, Grajum præpone virilem
Articulum: drachmas quinque bis illud agat.
Tum laticem tauri natarum, Cecropidarum
Affinem, ut Triccæ clara propago docet.

Eas autem compositiones plerique medici fastidiebant, utpote pretiosas & haud mediocrem pecuniæ collationem exigentes, ut passim à Sereno docemur. Vide quæ supra notavimus sub lemmate: DENTIUM VITIO VEL ORIS FOETORI MEDENDO.

Nec non & jecoris quæretur fibra lupini, Hoc phthisicis commendat Plinius libro XXIIX. cap. XVII. *Phthisicis medentur jecur lupi ex vino* &c. *Fibra jecoris lupini* ut suprà: *Si molles jecoris fibras,* pro jecore. Sunt enim *fibræ* jecoris extremitates, quas non tam medici observabant, quàm haruspices. Philostratus lib. VIII. de vitâ Apollonii: τὸ δὲ ἧπαρ ἐν ᾧ φασὶ τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα, οἱ δεινοὶ ταῦτα. Unde & haruspicinam ἡπατοσκοπικὴν τέχνην vocat Phlegon, qui ejus originem à Sibyllinis carminibus repetit in libro περὶ θαυμασίων. Fulgentius de vocibus antiquis ex Labeone, quem disciplinas Hetruscas Tagetis & Bacitidis XV. voluminibus explanasse ait, hoc refert: *fibras jecoris sandaracei coloris dum fuant, manales tunc verrere opus est petras, id est, quas antiqui solebant cylindrorum per limites trahere pro pluviæ commutandæ inopia.* magis ex alieno jecore quam suo sapiunt, qui aliter legendum censent.

Est & vis morbi, quod telum commemoratur.] Non, *Est ea vis morbi* quomodo perperam hic versus à Turnebo laudatur in exponendo hoc morbo, & Sereno ex

ex Iſidoro illuſtrando: *Telum lateris dolor, dictum autem ita eſt à medicis, quod dolore corpus tranſverberet, quaſi gladius.* Sequenti verſu liber avitus ex Iſidoro legit: *Cum ſubito dolor inſanus ferit incitus ictu.* reliqui tamen non malè: *furit incitus ictu.*

Perſicon huic potum è nuce traditur interiore.] Id eſt, ex interiore grano traditur, ut obſervat Pictorius.

SPLENI CURANDO.

ET plenum ſplenis demonſtrant membra rigorem.] Libri ex parte mendoſi ſunt, quos inter Stephano collati perperam exhibuerunt:

Et plenum ſplenem demonſtrant membra rigore.

Senſus eſt; intumeſcente liene, quod proprium lienis vitium eſt, etiam ei accidere duritiem, quam *rigorem* poëta vocat, cum, ut Celſus habet, *ubi lienis affectus eſt, intúmeſcit; ſimulque cum eo pars ſiniſtra; eaque dura eſt, & prementi renititur.* σπληνικοὶ propriè vocantur, non omnes qui ex liene laborant, ſed quibus lien obduruit.

Mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis.] Vel, ut alii librorum:

Mollibus ex hederâ tornantur pocula lignis.

formantur, tamen reformavêre malè librarii. *Tornantur*, quæ in rotundum formantur & evacuantur. Heſychius: τορνῶσαι, περιγράψαι, κυκλῶσαι. Idem τόρνον exponit, ἐργαλεῖον τεκτονικὸν, ᾧ τὰ στρογγύλα σχήματα περιγράφεται. quo ligna in teretem formam raduntur. Plinius de hedera, libro XXIV. cap. X. *hujus quoque ligni vaſe ſpleneticos bibentes ſanari invenio.* Plinius Valerianus hîc obiter emendandus libro II. cap. XXX. *aliâ die mane agitabis, & mittes in calicem hervinum, ſtans contra orientem, ut uno hauſtu bibat.*

bibat. indubie ſcripſit auctor: *& mittes in calicem hederinum,* ex hedera factum & tornatum, cujus mira proditur natura ad aperienda vina, & cætera liquida probanda. De poculis hederinis vel hederaceis Athenæus libro XI. Deipnoſoph. Κυσσύβιον. Εὔμολπος δὲ γένος ποτηρίου ἴσως φησὶ κατ' ἀρχὰς ἐκ κισσίνου κατασκευασθὲν ξύλου. Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Αἰτωλικῶν γράφει ἐν τῇ ἱεροποιΐῃ τοῦ Διδυμαίου Διὸς κισσοῦ σπονδοποιέονται πετάλοισιν, ὅθεν τὰ ἀρχαῖα ἐκπώματα κισσύβια φαίνεται. Ubi Sereni verſum laudat in animadverſionibus ſuis magnus Caſaubonus.

Hinc trahet aſſuetos æger quoſcunque liquores.] *Trahet,* bibet, Græco more dictum. Parmeno Byzantius apud Athenæum libro V.

Ἀνὴρ γὰρ ἕλκων οἶνον, ὡς ὕδωρ ἵππος.

Ariſtophanes Equitibus:

Σπονδὴν λάβε δὴ, καὶ σπεῖσον ἀγαθοῦ δαίμονος.
Ἕλχ' ἕλκε τὴν τοῦ δαίμονος τοῦ πραμνίου.

Sic apud Athenæum libro ſexto: αὐτὸς τὴν μεγάλην (nempe κύλικα) ἔσπακεν. ubi σπᾷν idem quod ἕλκειν, *trahere* Samonico. Seneca Agamemnone: *merumque in auro veteris Aſſaraci trahunt. ducere* & *perducere* Medici paſſim dicunt, ut infrà notabimus.

Aut viridis coctorum holerum potabitur unda] *holerum* pro *olerum,* ut alia venuſtè & vetuſtè. Hoc eodem lemmate membranæ avitæ legunt:

Hervum ſi ſemper jejuno ſumſerit ore.

ervum, libri ſequiores. Gloſſæ: ὄροβος, *hervum hervus.* Aliæ, *hervum,* ὄρυζα. malè: lego ὄροβος. quod idem in Priſciano notant emendatores. *hervum, holus, hymber.* ἀρχαΐζοντα ſunt apud poëtam medicum.

Sive myrica potens, ſeu ros cum pane marinus.] μυρίκης ἀφέψημα, decoctum foliorum ejus cum vino potum, ut commendat Dioſcorides: τῶν δὲ φύλλων τὸ ἀφέψημα σὺν οἴνῳ ποθὲν, σπλῆνα τήκει. vel calices ex myricâ

myricâ compositi & evacuati, quales hederacei. Idem Dioscorides: κατασκευάζουσι δὲ ἔνιοι καὶ κύλικας ἐκ τοῦ πρέμνου. αἷς ἐπὶ τῶν σπληνικῶν χρῶνται ἀντὶ ποτηρίων. ὡς τοῦ δι' αὐτῶν πόματος ὠφελοῦντος. Plinius libro XXIV. capite nono: *myricen, quam & tamaricen vocat Lenæus, similem scopis amerinis dicit. Sanari ea carcinomata in vino decocta tritaque cum melle illita. Arbitrantur quidam hanc esse tamaricem: sed ad lienem præcipua est, si succus ejus expressus in vino bibatur: Adeòque mirabilem ejus antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, ut affirment, si ex eâ alveis factis bibant sues, sine liene inveniri. Et ideo homini quoque splenetico cibum potumque dant in vasis ex eâ factis.* Quæ verba, non minimam Sereno & Dioscoridi lucem adferunt.

Aut hederæ succus potu appositùque juvabit.] Plinius idem de hederæ generibus: *Lieni pota & illita prosunt.* quarè malè, *fotu appositùque juvabit*, libri mendosissimi. Dioscorides longè minus habet istis ambobus: τὰ δὲ ἁπαλὰ τῶν φύλλων σὺν ὄξει ἑψόμενα, ἢ ὠμὰ μετὰ ἄρτου συλλειούμενα, σπλῆνα ἰῶνται. quæ verba tamen me docent, in Samonico distinguendum:

Sive myrica potens: seu ros cum pane marinus
Aut hederæ succus, potu appositùque juvabunt.

Donec victarum pars tertia subsit aquarum.] Id est donec pars tertia decocti maneat residua. Hoc *ad tertias decoquere*, medici vocabant. Apicius libro III. capite primo: *elixabis in cacabo novo, quoad aqua ad tertias defervẽat. hoc est, ex tribus heminis aqua una modò remaneat.* quæ posteriora non videntur Apicii, sed glossatoris. Columella libro XII. capite vigesimo, de defruto: *si natura tenue mustum fuerit, cum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est.* Infrà Serenus de tertiâ parte residua: *donec pars duplex desit aquarum.* malè *victarum* hic incoctarum,

ctarum, interpretatur Pictorius.

Ervum si semper jejuno sumserit ore. Habet à Plinio, ut infinita alia: *Si quis ervum quotidiè jejunus edat, lienem ejus absumi certissimi autores affirmant.* lib. XXIII. capite postremo: *hervum*, pro *ervum*, liber avitus, ut initio capitis adnotavimus.

Et trita illinitur, vel splen apponitur hoedi.] Marcellus cap. XXIII *Hircinus splen calidus, id est, statim ubi de pecude sublatus fuerit, super lienem hominis impositus, & alligatus mirè dolorem intra paucos dies auferet, si postea ad fumum suspendatur, ut illic arescat. Hœdinus verò lien similiter ut hircinus super splenem infantis appositus, & tumores & dolores ejus emendabit.* Hæc physica remedia non sunt, sed commenta magorum. Parile quid de vitulino, & canino liene idem notavit, item Plinius de asinino, bubulo, hœdino, libro XXVIII. capite XIII.

Præterea piper ac nepetæ cum flore & anethum,
Capparis atque apium, buglossaque jungitur una.]

Sic exhibuerunt hos versus omnium, quod sciam, librorum editores. Primus tamen Pithœus monuit in suo legi:

Præterea piper ac nepete, cum flore & anethum,
Nicolaus rapo ac boletus jungitur una.

ob quam ille diversitatem penè ἀποκαρτερῆσαι optare mallet, quam in re medica capitali tam discrepantes à se invicem unius sententiæ tabellas scribendas & recitandas audire. Et sanè præsens hîc aliquis Æsculapius requiritur, qui hæc chironia & defœda ulcera nobis sanet. Interim nos clinici medici vices non obibimus, vel ex parte medicinam faciemus huic loco, vel in οὐδὲν ὑγιὲς. Codex meus avitus alterum versum legit:

Nicolaus napo buglossaque jungitur uno.

quod tam illustre est, quam illud Pithœanum, mihi tamen

tamen non exponendum. Videtur autem tale quid in aliquibus manuſcriptis exaratum, indicium eſſe veterioris lectionis, quam nemo facile divinaverit. Fortè antidoton ex iis remediis variam à Nicolao Myrepſo mutuavit Serenus, quæ jam meliore ſui parte mutila aut corrupta in iis membranis venditur. Alterum lectionis, quod editorum eſt, fortè librariis debetur, qui ad antiquam hæſitabant. Ejuſdem tamen remedia, ſi non uno conſilio, ſingulo aut conjuncto præſcribuntur ab iiſdem medicis. *Apium, nepetam, capparim*, inter alia ſpleneticis commendat Corn. Celſus; & nihil æquè lienoſis ac *piper* Marcellus. Reliqua etiam cæteris venduntur: quorum ego indicio inductus, non ex hiſce verſibus variam compoſitionem & ſyntheſin auguror, ſed unumquodque ſimplex per ſe præſcriptum. Judicent tamen οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες, nos ſaltem hoc inter τὰ σκληρὰ Samonici notamus.

Ac thymbræ ſpeciem, quam commemorant cephaloten,
Prædixit ſpleni deus Idæ poſſe mederi.] Sic conſenſu librorum omnino legendum, quamvis avito:

Ac thrymbæ ſpeciem, quam commemorant cephaloten.

quod ineptum, θρύμβης pro θύμβρης. *cunilam* τὴν θύμβραν, Græci κεφαλωτὴν appellant, Plinius *cunilam capitatam*: nam & *cunila* Columellæ certa ſpecies eſt thymbræ. Sed in Columella *cunela* vel *conela* ſcriptum, melius & verius: nam ejus capitula conis & ſtrobilis ſimilia ſunt turbinata & acuminata, & ex multis veluti ſquamis compacta. Hic Nicander στρομβεῖα vocat capitella hujus thymbræ in Theriacis:

Σὺν δὲ καὶ ὄνου πεπάλαιον ὀρίγανον, αὖα τε θύμβρης
Στρομβεῖα ψώχοιο.

στρόμβος autem idem quod κῶνος vel στρόβιλος. Heſychius: κῶνοι, οἱ θύρσοι καὶ οἱ στρόβιλοι, καὶ οἱ στρόμβοι. Nicander στρόμβους etiam poſuit pro nucibus pineis, qui & κῶνοι propriè.

——— ἠδ' ὅσα πτῦκαι

Ἀργυτέραι στρόμβοισιν ὑπεθρέψαντο ναπαίαις.

Scholiastes exponit στρόμβον, τὸ κωνοειδῆ κρεπτὸν τῆς πόλιης. Inde στρομβεῖα θύμβρης, capita vel κωνεῖα thymbræ. Apulejus: *Græcis quidem pelion, Latinis conula. conula* est thymbra cephalotis vel capitata, ἡ κωνηλὴ. ἔχον κεφάλιον ἐπ' ἄκρῳ, κορυμβοειδὲς, μικρὸν ὡς πολιαν τρίχα. Scribe: μικρὸν ὡς πόλιον τρίχα. Vide quæ diviné Salmasius notat in Solinum, & Scaliger castigat, ad librum IV. Propertii.

Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.] *minus & minus apta lieni.* placet legendum ex avito libro. *minus & minus*, ut suprà, *magis atque magis.*

Et magis atque magis vitium revomendo valescit. infrà: *Quæ magis atque magis promittunt corpora claudi.* Xenophon: ὁ δὲ ὄχλος πλείων καὶ πλείων ἐπιῤῥεῖ. Eupolis:

Πῶς ζῶς μὲν ἐπινοφεῖ τὸ πρῶτον ἡσύχως
Ἔπειτα μᾶλλον μᾶλλον ———

Cellus de lienis morbo: *dulcia omnia inimica sunt.* Oribasius libro IV. capite XXIII. Latinè redditus. *Caricæ sunt jecori & spleni inflammatis noxiæ, veluti etiam ficus, non aliquâ propria & excellenti earum facultate, sed communi omnium dulcium ratione. omnia enim dulcia lienem & jecur obstructa, & scirrho laborantia lædunt.*

Splen tumidus nocet, & risum tamen addit ineptum.] *Tumidus splen*, qui justo majus spatium occupat, quoniam secundum filios medicorum, & ex illis Plinium, *intemperantiam risus constare lienis magnitudine quidam putant.* Inde σπλὴν Græcis est οἶκος τοῦ γέλωτος, & οἰκεῖον γελαστικόν. In commentis Rabbinorum טחול vel טיחול hoc est, splen, sedes risus esse dicitur. Glossæ veteres ad illud Persii: — *petulanti splene cachinno. Cachinnus est cum voce risus lascivior, quem Græci*

μωρογέροντας dicunt. Et ſecundum phyſicos dixit, qui tradunt homines ſplene ridere, felle iraſci, jecore amare, corde ſapere, pulmone jactari. Legendum ex emendatione: *quem Græci μωρὸν γέλωτα*, vel *πλατὺν γέλωτα dicunt.* μωρὸν γέλωτα, id eſt *riſum ineptum*, ut Serenus exponit. Græci etiam ἄκαιρον venuſtè *ineptum* interpretantur. Verſus παροιμιώδης Græcorum:

Γέλως ἄκαιρος δεινὸν ἐν βροτοῖς κακόν.

Catullus:

Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.

Sic ſplen tumidus ineptiſſimum riſum movet & quaſi Sardonium: nam Sardonia herba comeſa hominum rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit. Inde σαρδόνιος γέλως proverbio Græcis, & σαρδόνιος πόα, *ſcelerata herba* apud Apulejum, de quâ vide Dioſcoridem. libro VI. cap. XIV. Virgilius:

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Ubi mendoſiſſimi libri malè, *Sardoniis*, contra Græcorum autoritatem, quibus σαρδώνιος non σαρδόνιος, ſcribitur: quod eò magis adnotare libuit, cum in veteri avito ſcriptum invenerim:

Ut mihi Sardoniis videatur proximus herbis.

Stephanus de urbibus: Σαρδὼ, ἡ νῆσος· ὁ κατοικῶν σαρδώνιος καὶ σαρδῷος. Servius: *Sardonia* (σαρδώνιος πόα) *apiaſtri ſimilis homines decipit.* Apiaſtrum venenatum in Sardinia naſcitur, quæ eſt herba Sardoa, ἀγριοσέλινον. Viri medici perperam ἀγριοσέλινον & μελισσόφυλλον confundunt. Salluſtius de hac eadem herba: *hæc comeſa hominum rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit.* Malè legunt: *hominum riſus dolore contrahit. rictus*, id eſt, labia contrahit, quæ contrahuntur eſu Sardoniæ. Dioſcorides: καὶ σπάσματα μετὰ συνολκῆς χειλέων. Varro: *rictus parviſſimus, ut refrænato riſu roſeo.* στόματος ἄνοιξις. Heſychius in Σάρδιον. ὡς καὶ τῶν χειλέων τοῦ στόματος συσταλέντων, ἐκ τοῦ

τοιούτου

Digitized by Google

τοιούτου σπασμοῦ γυμνοῦσθαι λοιπὸν καὶ τοὺς ὀδόντας. facie enim ridentium intereunt, qui comesâ Sardoniâ mortem oppetunt. Idem Hesychius: ὡς γελῶντος φαντασίαν δείκνυσθαι τοῖς ὁρῶσι. ubi notabis τὸ τῶν γελώντων φαντασίαν. Æschylus in libro proverbiorum hanc narrationem habet risus Sardonii: *quidam coloni Carthaginensium in Sardinia habitantes sacrificaverunt super septingentos parentum Saturno ridentes & salutantes invicem. Turpe igitur putabatur lachrymare, flereque: quapropter factum est, ut dicatur Sardonius risus.* Hæc satis Sereni mentem interpretantur, & illos versiculos:

Ut mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quæ miseris permiscent gaudia fatis.

Dicitur exectus faciles auferre cachinnos.

Perpetuoque ævo frontem præstare severam.] Inde per jocum veteres dicebant, οὔτε ἄνδρα οὔτε γυναῖκα εἶναι τὸν εὐνοῦχον, quod eorum proprium esset *ridere.*

PRÆCORDIIS SANANDIS.

NEc non & lini tunsum siliquæque legumen] *Siliquæque legumen*, ut alibi, *lapathique legumen*, pro lapatho & siliquâ. hoc & medicum est, & poëticum; qui τὸ κεράτιον siliquarum de ipsis siliquis intelligunt. At contra Prudentius cathemerin. hymno III. siliquarum nomine, leguminum opercula intelligit:

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo,
Paverit innocuis epulis.

Hæc decocta simul, nondumque tepentia necles.] Marcellus pari ferè remedio: *Ad dolorem præcordiorum cataplasma egregium, lini seminis sextarium unum, fœniculi seminis sextarium unum ex aquâ mulsâ decoques, & in panno calido præcordiis sæpius applicabis, mirè proderit.* Alii libri *lini tusum*, pro *tunsum*, quod

eodem

eodem recidit. *Siliquæque legumen* eſt xylocaractæ granum, cujus Galenus meminit lib. VII. cap. XIX. Simplicium. *nondum tepentia* rectiſſimè *tepido calidiora* interpretantur.

Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris
Cocta lines, durum ut poſſis mollire tumorem.] *Cidon* pro *Cydon*, malè chirographus avitus. Α Κυδωνία τὸ ἐθνικὸν κύδων. Stephanus: κυδωνία, πόλις κρήτης. Plinius in urbibus Cretæ: *Pergamum, Cydon, Minoum*: ubi neſcio cur *Cydona* velit repoſitum Salmaſius. Ea poma ἀληθινὰ Græci vocant & diſtinguunt à Majoribus quæ *ſtruthea*, ἢ στρούθια nominant. Hæc vulgo *cotonacea* appellantur. Alii τὰ στρούθια & κυδώνια confundunt, ut Nicander, & Philemon, quem notat Athenæus τὰ κυδώνια μῆλα στρούθια καλεῖν. Altero verſu, *cruda teres*, eodem ſenſu lectum invenio. Dioſcorides περὶ κυδωνίων. ἢ δὲ ὠμὰ καταπλάσμασι μίγνυται πρὸς στομάχου ἀνατροπὴν, καὶ πύρωσιν. Plinius utramque lectionem conciliat libro XXIII. cap. VI.

Ocyma præterea, bulbive linuntur amari.] Marcellus: *Bulbi excocti triti inliti tumorem præcordiorum & ventris emolliunt. item proficies, ſi ocimum triveris & eo præcordia ſpiſſius inleveris.*

Quin etiam catulum lactentem apponere membris
Convenit: omne malum tranſcurrere fertur in illum.
Lactentem rectiſſimum eſt; *lactantem*, ineptiſſimum. Marcellus XXI. *Præcordiorum dolorem catuli lactentes admoti viſceribus humanis, transferre in ſe adſeruntur; idque exenteratis perfuſiſque vino deprehenditur vitiatis eorum viſceribus.* Ideo catellos eo vitio affectos mox jubent necandos & ſepeliendos. Serenus:

Cui tamen exſtincto munus debetur humandi,
munus humandi, ut *officia humationis* dixit Arnobius. Cæterum & torminoſis pari conſilio ventrem anatis viventis apponendum, ſcribit Marcellus, cum cæte-

ris

Digitized by Google

ris affirmans, transire morbum ad anatem, eumque mori. Idem videndus extremo capitis XXVII.

Quod superest, tridaci junges ramenta carinæ,] Lectio hæc veterum scriptorum & excusorum, quam retinemus. In vilioribus editis malè fuit:

tritæ junges ramenta carinæ.

in aliis: *styraci junges ramenta carinæ* medici enim τοῦ θρίδακος & ζώπισσας commistionem eo consilio præscribunt. θρίδαξ in vett. glossis *lactuca* exponitur: quarè vehementer hic iterum hallucinatur Pictorius, qui *carinam* de corporis humani thorace exponit.

Quodque decem ex rebus constat simul atque vocatur.] Capite sequenti:

Quodque decem rebus componi ex nomine clarum est.

quod clarum est ex decem rebus parari & vocari rectè *decatorthoma*. Ea vox ad oram quorundam vulgatorum legitur, sed ineptè versu commista:

Quodque decem ex rebus decatorthoma ritè vocatur.

decatorthoma, ut δεκάμυρον, apud Aëtium, Oribasium & Æginetam. Glossæ δεκατόρθωμα, latè δεκάμυρον interpretantur.

Talibus auxiliis præcordia tuta resident.] alii, *residunt.*

LUMBIS ET RENIBUS SANANDIS.

IGne lapis candens datur exultantibus undis.] Hoc non lumbis solum sed & omnibus lateris vitiis medici præscribunt, quemadmodum suprà à Sereno docemur de lateris vitiis sanandis: item à Celso libro IV. de lienis morbo & ejus curatione: *Potui jejuno dari debet asynthium incoctum, at post cibum aqua à ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit.*

ſit. Hæc enim vel præcipuè lienem coërcet : quod animadverſum eſt in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Ad veſicæ dolorem & tumorem, eandem aquam Marcellus commendat, capite XXVI. *benefacit aqua pota, in quâ ferrum candens dimiſſum eſt. hoc tractum eſt ab aquis calidis, quæ ſunt in Tuſcia ferratæ, quæ mirificè remediant veſicæ vitia; unde appellantur veſicariæ, qui locus quondam fuit Milonis Brochi prætoris, hominis optimi* (ſcribo, *opimi*) *ad quinquageſimum ab urbe lapidem.*

Aut pice cum melli nitrum ſulphurque & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iiſdem.]

Hæc antiqua lectio, ſed indubie corrigenda:

Aut pice cum molli nitrum ſulphurque & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iiſdem.

Eam vitioſam cum correctores non caperent, multo pejorem reformarunt, quæ etiamnum ad oram editorum legitur excuſa:

Aut cum melle picem, nitrum ſulphurque & acetum.

mellis nullus eo conſilio uſus eſt, nulla medicina. Quare veriſſimæ correctionis meæ fundum dabo Marcellum Empiricum, cap. XXV. *lana ſuccida, nitro, ſulphure, oleo, aceto, pice liquida* (*mollem* vocat Serenus) *ferventibus his tincta, & quàm calidiſſimè ſuſtinere poſſit, bis in die appoſita, prodeſt lumborum dolori.* Et capite ſequenti de renibus ſanandis: *lanam ſuccidam pice liquida inline, & umbilico impone, ſtatim renium dolor ſedabitur.* Nihil verius ea lectione, quam nos primi reſtituimus

Aut caput aſparagi cum vino ſume vetuſto.] *Caput aſparagi* vocat, quod καυλίον Dioſcorides. περὶ ἀσπαράγου. οὗ ὁ καυλὸς λεγόμενον μετ᾽ οἴνου λευκοῦ, παύει φρενίτιδας. Marcellus *radicem aſparagi* præſcribit, *ex vino tritam & potam prodeſſe renium dolori.* Dioſcoridis autem καυλίον, *cauliculum* interpretantur, quemadmodum

dum braſſicæ primum cauliculum vocant ἀσφάραγον ἀπὸ κράμβης. Gloſſæ: *cuma*, ἀσπάραγος, κράμβα, σπάραγος. fortè corrigendum: κραμβασπάραγος. De aſparago vide Galenum II. περὶ τροφῶν δυνάμεως. Omnes ferè medici ſine ullo inſigni calore aut frigore (quæ ſunt δραστικώτατοι qualitates) ſiccare aſparagos ſcribunt, & lumbis & renibus ſanandis conducere. Diphilus apud Athenæum à ſummo viro Iſaaco Caſaubono reſtitutus hoc intellexit, cum diceret: ὡς ὁ τῆς κράμβης ἀσφάραγος λεγόμενος ἰδίως ὄρμενος, εὐστομαχώτερός ἐστι καὶ εὐεκκριτικώτερος, ὄψεων δὲ βλαπτικός. ἔστι δὲ δριμὺς καὶ οὐρητικὸς, καὶ οὐκ ἀδικεῖ νεφροὺς καὶ κύστιν. perperam in Athenæo legitur exulante negatione: καὶ ἀδικεῖ νεφροὺς καὶ κύστιν.

Aut adipe miſtum lumbis inducito ſulphur.] Id eſt, ſuperinducito lumbis, aut eo perducito lumbos. Marcellus: *adipe urſina dolentes coxas perfrica, continuo ſanabis.* & poſt: *gladioli radix contuſa cum ſulphure vivo & adipe urſina, lumbis impoſita plurimum prodeſt.* ubi notabis *adipem* genere ſequiore ſumi, quemadmodum apud Columellam lib. VIII. cap. XIV. *quæ res ad creandas adipes multum conferunt.* & apud Varronem I. de ruſt. qui *adipes illa* dixit, quod eidem Marcello longè uſitatiſſimum eſt, & ſemel hic obſervandum. Cæterum viri doctiſſimi *lumbos* hic malè de dorſo exponunt, quemadmodum alibi apud Horatium: quod contra Marcellum eſt, cæteroſque, qui eam partem corporis intelligunt, quæ ſpinæ interioris quinque vetebras complectitur. Eam libidinis ſedem vocabant: Græci magiſtri: ψόας δ' ὧν αἱ ὀρέξεις κινεῖσθαι πεφύκασιν. Martialis. V. Ep. LXXX.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos.

hoc *lumborum criſpitudine fluctuare*, vocat Arnobius libro

libro II. Carmen liberum de Telethusa:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

Lucilius:

Crissatura, ut si frumentum clunibu' vannat.

motus enim exigebant in re venerea & agitationem: quæ, nescio, quid habeant incentivum ad rem gerendam: κλάδαρον Græci vocabant talem fluctuante lumbo moventem: unde κλαδαραὶ ὄψεις, & κλαδαρὸν περιβλέπειν apud Clementem Alexandrinum, de veneris pusionibus. Hesychius: κλαδαρόμματοι, ἄνυγροι τοῖς ὄμμασι.

Farraque quæ tremulis prosunt sudantia flammis] *prosunt fumantia flammis*, scriptæ membranæ avitæ: sed *sudantia*, puto, præstat verissimam scripturam. Cocta grana, *farra* vocat *flammis sudantia*. suprà etiam *farinam* per *farra* intelligit, eo versu:

Aut acido Baccho miscebis farra lupini.

Graneas, ea farra vocabant, quæ tremulis prosunt sudantia flammis. Græci χόνδρα vel χόνδρα ἑφθὰ, quia prius frangebant, quàm torrerent. Alia prius torrebantur, deinde frangebantur. Serenus cap. XXXVIII.

——— *& saxis ordea fracta.*

Fertur amygdalinæ succus nucis esse bibendus:
Pinsitur, ac tepidis sorbebitur addita lymphis.] Marcellus: *nuclei amygdalarum triti, & ex aceto poti, lumbis medentur.* Dioscorides non ex aceto potos, sed ex aqua, cum Plinio & Sereno commendat. πρὸς δὲ νεφριτικοὺς καὶ περιπνευμονικοὺς, σὺν ὕδατι ποθέντα ἢ ἐκλειχόμενα σὺν ῥητίνῃ τερεβινθίνῃ. cap. περὶ ἀμυγδαλῆς. Et Plinius apertè de amygdalis: *jocineris & renum dolores ex aqua potas*, sanare tradit, libro XXIII. cap. VIII. ubi notabis, renum, lumborumque dolori pariter prodesse succum amygdalarum. Quæ cum in mortario tundantur pilo, & duriores sint, quàm ut *pinsantur*,

Digitized by Google

tur, quod propriè fermentorum est & mollium materiarum, planè mihi ex veteri scriptura legendum constat:

Pinditur, ac tepidis sorbebitur addita lymphis.

Servius in Fragmentis: *pindere, significat pilo tundere.* Inde *piso*, quod vocabulum pro mortario usurpat Marcellus capite VIII. *radices betæ maximè nigræ ex aquâ tepida lavabis, & expressas sabano siccabis, deinde tundes in pisone marmoreo.*

Aut tres ex vino cochleas fervescere coges,

Cumque suis domibus franges.] Id est, *cum testis suis conteres*, ut habet Marcellus. *domus*, οἱ δόμοι, testa cochlearum. Inde proverbium, κοχλίου βίος. deinde *domus cochlearum*, ut apud Poëtam II. Georg.

Antiquasque domos avium ——

& Nemesianum Cynegetico:

—— *tu pande domos & lustra ferarum.*

Furfur item parcâ fuerit quum fervidus unda,
Post oleo madidus saccis immittitur aptis,
Quos vix passuris urentes addito membris.] Hoc ἐπανόρθωμα recte restitutum est ex libris veterioribus. Ineptissimè enim legebant viliores editorum:

Post oleo madidus succis immittitur aptis.
Quæ vix passuris urentia jungito membris.

vel, ut in Gryphianâ:

Quæ vix passuris urentes addito membris.

Prodest cervinæ vehemens natura medullæ.] *vehemens natura*, quippe laudatissima: μυελὸς δὲ κράτιστος ἐστὶν ἐλάφου, ut habet Dioscorides, & ex eo Plinius. Quod non leviter immutandum. Scriptum tamen in avito reperio:

Prodest cervini medicans natura cerebri.

medicans pro *vehemens*, etiam alii librorum agnoscunt: alii *clemens natura medullæ.* cætera, nescio, an ulli editorum sint adnotata. Quod cum interpretis

 egeat,

egeat, ego exponere non erubeſcam, *medullam* pro *cerebro* ſæpe dixiſſe Græcos veteres, à quibus & ſua hauſit Samonicus, non autem *cerebrum* pro *medulla*: quod etiam contra præſcriptum medicorum notamus. Ita Timæus dixit ἀρχὰν καὶ ῥίζαν μυελῶ εἶμεν ἐγκέφαλον. ab eodem Plato in Timæos ἐπωνόμασε τοῦ μυελοῦ ζώντην τὴν μοῖραν ἐγκέφαλον. Galenus libro octavo de uſu partium: τὴν δ' οὐσίαν αὐτοῦ (cerebri) βουλόμενος ὁ Πλάτων δηλῶσαι, ἥνπερ οἴεται κατ' ἀλήθειαν εἶναι μυελὸν, ὀνομάζει. Sed hæc commentanea ſunt & tralaticia, neque tam cara, ut pro iiſdem optimam lectionem noſtri poëtæ vendamus.

Aut miſtam teneris malvam contundito porris] Noluiſſem ex libris exhiberi.

Aut miſtam teneris madidamque elelisphacon undis. Sed in eâ compoſitione nec ſibi ſatis conſtant cæteri medici. Quidam etiam libri: *malva contundito porris*. Vitiosè.

VENTRIS DOLORI MITIGANDO.

SI dolor inſanus totâ deſævit in alvo.] Omnes internos ventris morbos cum intelligat, bene *tota dolorem deſævire in alvo* dixit. Græci medici τὴν κοιλίαν ἢ κάτω κοιλίαν eo nomine comprehendunt. Latiùs enim τὴν κοιλίην Erotianus apud Hippocratem annotat, dici πᾶσαν τὴν ὑπὸ τὸ διάφραγμα εὐρυχωρίαν. Unde Philotheus commentario in aphoriſmum decimum quintum, ſectione prima teſtatur, κοιλίας λέγει τὴν ὑποδοχὴν καὶ πᾶσαν κοιλότητα ἐμβαθῆ κειμένην, οἷον ἐγκεφάλου, καρδίας, ἥπατος καὶ τῶν ἄλλων. De iis partibus Serenus diviſim agit. nunc tandem de iis morbis, qui ventrem inferiorem infeſtant, & inteſtina torminibus invadunt.

Hemi-

Digitized by Google

Heminis tribus in lymphæ, tu decoque tritum
In vino prius hyssopum, validam quoque rutam,
Atque apium, donec pars duplex desit aquarum]

Ita prius eruditi reposuerunt, cum legeretur mendosissimè:

Heminis tribus in lympha validam quoque rutam
In vino prius hyssopum, validam quoque rutam
Aut apium, donec pars duplex desit aquarum.

Marcellus hic magis accuratus est in ea potione propinanda. cap. XXVII. *ruta cum hyssopo in aqua ad tertias decoquitur* (id est: *donec pars duplex desit aquarum*) *atque eadem aqua in potione vini à torminoso salubriter mixta potatur.*

Præterea nivei sterilis testa uritur ori,
Quæ postquam in tetram fuerit conversa farinam,
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.]

Non malè liber avitus:

Præterea nivei sterilem vestem uritis ovi,
Quæ postquam in tenuem fuerit conversa farinam,
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.

Marcellus: *vestem ovi delicatam interiorem siccatam contere*, &c. *in tetram farinam*, id est, in nigrum pulverem, qualis assarum testarum.

Nec non jungenda est utero nova virga myricæ,] Cum κοιλιακοῖς καὶ ῥοϊκαῖς γυναιξὶν ejus corticem mederi scribat Dioscorides; non interpretandus est hic versus de utero propriè, sed humano ventre torminoso. Isidorus: *uterum solæ mulieres habent, &c. auctores tamen* uterum *pro utriusque sexus ventre ponunt.* Virgilius de equo ligneo: *uterumque armato milite complent.* Plinius de myrica hanc expositionem confirmat libro XXIIII. capite IX. *Gravis autor in medicina, virgam ex ea defractam, ut neque terram neque ferrum attingeret, sedare ventris dolores asseveravit impositam, ita ut tunicâ cinctuque corpori apprimeretur.* Altero

versu

verſu pro *teratur*, *feratur* & *trahatur*, libri legunt: quorum neutrum ſatis placet, nec illud tertium amplector, moneoque ſcribendum:

Illæſa hæc ferro terráque intacta, prematur.

ita Plinius habet, ita liber avitus.

Aut medio ventris prodeſt aſpergere terram.

Quam ſignaverunt veſtigia preſſa rotarum.] *Ventris medium* venuſtè pro umbilico poſuit, quemadmodum *umbilicum* pro omni medio latini autores. Alterum verſum à Virgilio habet, III. Georg.

Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia pulvere ſignent.

Proderit & pulvis facili ſub cardine raptus] *facili ſub cardine raptus*, non ut diſtinguatur ἀπὸ τῶν σμηγμάτων, quæ propriè ſunt pulveres medicorum, & cuti non unctæ ad eam detergendam inſperguntur: *ſed pulvis facili ſub cardine raptus*, eſt *ſordes ex gymnaſio*, apud Celſum libro V. cap. XV. Marcellus: ad ventris dolorem remedium efficax ſic. *ſordes de cardine oſtii tolle digitis duobus, pollice & medicinali, & ſuper umbilicum laborantis appone.*

Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum Conveniet] κύμινον ἄγριον, cujus ſemen ex aqua adverſus tormina & inflationes bibitur. Dioſcorides: πίνεται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πρὸς στρόφους καὶ ἐμπνευματώσεις σὺν ὕδατι. *ex lymphis*, id eſt, cum lymphis, legendum, σὺν ὕδατι, non & *lymphis*, ut ad oram Gryphianæ editionis. nihil notius medicorum filiis. Plinius de cumino ſylveſtri: *diſcutit pituitas & inflationes tritum & cum pane ſumptum, vel potum ex aqua vinoque: tormina quoque & inteſtinorum dolores.*

Cœliacos autem recreabis pane ſalubri,
Quem madido farre efficies ac mollibus ovis,
Quorum teſta fero prius evaneſcere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo.] Mentem aucto-

auctoris non assequuntur alterius lectionis architecti, qui à Marcello, ut putant, eam veriorem mutuarunt, malè distinguentes & conjungenda separantes, ad hunc nempe modum:

Cœliacos autem recreabis pane salubri
Quem madido farre efficies: ac mollibus ovis,
Quorum testa fero prius evanescere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo.

quæ distinctio longè ineptissima est, & à sensu aliena. non enim ova cum testis suis in aceto macerata cœliacis mederi voluit, ut Marcellus, cujus hæc in pari consilio verba sunt, *ova in aceto cum testis suis macerata, & alio die in patella infusa, ibique tosta, cœliacis in cibo data plurimùm prosunt;* sed mollibus in aceto cum putaminibus suis maceratis, & cum farina in pane subactis cœliacos sanari; quod quàm verissimum sit, ex uno Plinio demonstrabo, qui libro XXIX. capite tertio, de ovorum natura: *maceratorum in aceto molliri diximus putamen. Talibus cum farina in pane subactis, cœliaci recreantur.* nec etiam solo pane ex farina, sed ovis cum farina in pane subactis, & antea cum putaminibus ex aceto maceratis sanantur. hæc mens est eorum versuum, qui non aliter in libris antiquis & avito nostro exhibentur, præterquam mutata vocula:

Coiliacos autem recreabis pane salubri,

coiliacos pro *cœliacos*, Græco more, ut κοῖλον *cœlum*, ποινή *pœna*, & alia veterum membranarum.

Cumque his Lenæi durum potare fluentum] ἢ εὔτονον καὶ τὸ δριμύ. libri viliores: *clarum potare fluentum.* error ex affinio & copula literarum.

HY-

HYDROPISI DEPELLENDÆ.

Corrupti jecoris vitio, vel splenis, acerbus
Crescit hydrops, aut cum siccatæ febre medullæ,
Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem.] Ita edi voluerunt curatores librorum, quibus melioris & verioris exhibendæ scripturæ fides defuit. Verùm cum alteram hydropis caussam, lienis magnitudinem rectè Avicenna referat, cæterique magnum lienem attrahere humorem melancholicum contestentur; quo humores, à quibus jecur refrigeratur, progenerantur, frigidusque lien necessario refrigeret jecur, quo refrigerato nascatur hydrops: non video, cur membranarum fidem secuti veterumque codicum auctoritatem, non restituamus accuratissimam lectionem?

Corrupti jecoris vitio, vel splenis acervo
Crescit hydrops.

ita liber meus avitus habuit, cæterique cum Stephano collatis multò castigatiores. Tres ferè caussas hydropis enumerat cum optimis medicis Serenus, hepatis refrigerationem, aut aliud ejus vitium malè affectum; alteram, splenis tumorem, qui, cum hydrops citra hepatis refrigerationem non gignatur, quod illi suo vitio aut lienis aut ventriculi refrigerati contingit, hydropem accendit; & ultimam, febrem antecedentem: Celsus de hydropico morbo: *Sæpe verò hoc malum per se incipit. Sæpe alteri vetusto morbo, maximæque quartanæ supervenit.* & ejusdem capitis extremo tradit, *jocineris hunc morbum*, putasse Erasistratum, cui confutando probat, *non hujus visceris unius hoc vitium esse. Nam splene affecto & in totius corporis malo habitu fieri.* Aëtius hoc ipsum innuit capite de hydrope, ex viri doctissimi versione Latinè factus:

con-

consequitur aqua intercus omnes morbos qui habitum corrumpunt: una est enim ad hydropem aptitudo, coagmentatæ corporis miscellæ demolitio & ruina. Contingit autem hæc, aut ob superexcellentem hepatis frigiditatem, aut ob aliqua alia membra vehementer refrigerata, quæ hepar in eandem dispositionem deducere valent: citra enim hepatis refrigerationem, impossibile est, aquam congelari & aliquem in hydropem incidere. Coafficitur autem hepar spleni refrigerato, alvoque & intestinis, maximè iis, qui juxta jejunum intestinum sunt, pulmonique & renibus, ac septo transverso. notabis etiam, post cœliacam affectionem ex ordine hunc morbum tractari à Sereno, quippe eandem & hydrops interdum sequi solet, ut idem Aëtius affirmat.

Atque avidæ fauces gelidum traxêre liquorem.] Aqua inter cutem non rarò à copioso frigidæ potu continuo provenit, quum præ nimia siti, ut in febribus, ad saturitatem quispiam multam aquam gelidam ingurgitaverit: postea humidum in peritonæum delatum sit, atque inde in ventribus insitus calor refrigeratus fuerit: deinde in ilia guttæ affluunt, quæ prius in aërem versæ, per transpirationem digerebantur. Ideo Celsus de hydrope: *Facilius in servis, quàm in liberis tollitur, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quàm quibus inutilis libertas est.*

Tum lympha interius vitio gliscente tumescit,
Secernens miseram proprio de viscere pellem.] Ἀσκίτης, hic ὕδρωψ propriè medicis appellatur. Eo enim abdomen ab aquoso humore distenditur. Cum vero per totum corpus, ἀνασάρκα vocatur. Glossæ: ἀνασάρκα, σαρκίτης, λευκοφλεγματίας. Tertius est τυμπανίας, hydrops siccus, quo solus venter flatu pleno tumescit. omnia ejus genera tacitè Serenus observat. *Pellem* autem

autem pro cute posuit. Glossæ: ὕδρωψ, *aqua sub cute.* Victor in Hadriano: *hic morbo succutaneo, quem diu placidè pertulerat, victus.* ubi vulgò, *subtercutaneo* legi, notant editores. *miseram pellem* valdè propriè dixit. *Sic miser locus*, ὁ πτωχὸς, & *miserum latus* Horatio: *misera bucca* Plauto: *dens miser* Marcello.

Conveniet teneræ radix decocta sabuci

In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.] *Teneræ sabuci*, τῆς χαμαιάκτης. Dioscorides: ἡ ῥίζα δὲ αὐτῆς ἀφεψηθεῖσα σὺν οἴνῳ καὶ διδομένη τῷ δὲ πλεῖ δίαιταν, ὑδρωπικοὺς ὠφελεῖ. Quod non ad mensuram expressum, quam Serenus observat & Plinius libro XXIV. cap. octavo: *Sambucus habet alterum genus magis sylvestre, quod Græci chamæacten, alii helion vocant* (scribo, *ebulum vocant*) *multo brevius. Utriusque decoctum in vino veteri foliorum, vel seminis, vel radicis ad cyathos binos potum, stomacho utile est, alvo detrahens aquam.* Marcellus capite septimo: *herba quæ Græcè chamæacte, Latinè ebulus, Gallicè odocos dicitur.*

Nec non & tepidis convolves corpus arenis: Celsus libro III. capite XXI. *Superiores maximè partes sic perfricandæ, ut spiritum ipse contineat, evocandusque est sudor non exercitatione tantummodo, sed etiam in arenâ calidâ, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis: maximèque utiles naturales & siccæ sudationes sunt, quales super Bajas habemus in myrtetis: balneum atque omnis humor alienus est.*

Appposituque lenes nepetæ, gustuque juvabunt] Scribo:

Appposituque leves nepetæ, gustuque juvabunt.

Altera καλαμίνθη, quam *nepetam* Latini vocant. Dioscorides: ζώτην Ῥωμαῖοι νεπίταν καλοῦσιν. Scriptum in avito: *gestuque juvabunt. gestu* pro *gustu* semper idem liber obtinet, ut obiter notamus. Suetonius in nomine Augusti interpretando, *ab avium gestu gustuve,* dedu-

deductum ſcribit ubi *guſtatuve* malè reſcribendum putat Caſaubonus.

Helleboro quoque purgatur lymphaticus error.] Cum lymphaticorum nomine commoti & larvati, & à rabioſo cane morſi ὑδροφοβίαν metuentes intelligantur; ſuper, ex hoc verſu hydropicos etiam intelligendos adnotavit Turnebus libro X. cap. ultimo adverſariorum. Cujus interpretatio nihil hic ad Sereni locum facit. Et perperam *humor*, pro *error*, eruditi ſuppoſuerunt: *error*, non *humor* legendum: nam *errorem* de morbo & dolore dicebant. Florus lib. II. cap. X. *Ipſe rex Apulo equo impoſitus, quum ſubinde crapula, & capitis errore lapſaret, captum ſeſe vix & ægrè poſtquam experrectus eſt, didicit. lymphaticus error*, ὑποσαρκίδιος. Gloſſæ: ὑποσαρκίδιος, ἀνασάρκας. Eſt autem ἀνασάρκας hydrops per totum corpus diffuſus. Alterum hydropis genus hic tangit Serenus. *Helleborum* quoque *nigrum* intelligit. Dioſcorides περὶ ἐλλεβόρου μέλανος. μετὰ δὲ κελαθίνου ἀλεύρου καὶ οἴνου, καταπλασμα ἐστιν ὑδρωπικοῖς ὠφέλιμον. Plinius: *nigrum medetur paralyticis, inſanientibus, hydropicis, dum citra febrim.*

Aut ejus vice quod fert ſemen lenta geniſta

Miſcetur mulſis, & cautis ducitur undis.] Geniſta enim hellebori vicem præſtat. Plinius de geniſta loquens: *dubito an hæc ſit, quam Græci autores ſparton appellavere, cum ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerim: & nunquid hanc deſignaverit Homerus, cum dixit navium ſparta diſſoluta.* σπάρτον & σπάρτιον appellavêre. Heſychius verſum Homericum exponit, σπαρτίου ῥάμματος.

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται.

Idem: σπάρτα, σχοίνια, ῥάμματα. Dioſcorides περὶ σπαρτίου. τούτου ὁ καρπὸς καὶ τὰ ἄνθη ποθέντα σὺν μελικράτῳ ὁλκῇ ὀβολῶν ε. καθαίρει ἄνω μετ' ἐντάσεως ὥσπερ ὁ ἐλλέβορος ἀκινδύνως. Plinius ad verbum: *Semen ejus, quod Græci*

N *eodem*

eodem nomine appellant, in folliculis phaſeolorum modo naſcens, purgat ellebori vice, drachmâ & dimidiâ potâ in aquæ mulſæ cyathis quatuor jejunis. Nihil igitur in Sereno mutandum: *& cautis ducitur undis,* ad drachmam & dimidiam, in aquæ mulſæ cyathis quatuor jejunis. Libri viliores perperam exhibuerunt:

Miſcetur mulſis, ac hauſtis ducitur undis.

quæ ineptiſſima eſt lectio. ea enim quæ ducuntur, etiam hauriuntur, id eſt, potantur. *ducere* & *perducere* frequens occurrit in libris medicorum. Infra Serenus: *rubiam quoque ducere potu.* & alibi:

Inde ſoporati ducentur gutture potus.

Vopiſcus in Probo: *ſitulas duas plenas mero duxit.* Marcellus Empiricus: *perduci illud, id eſt, potari ex vino mulſo oportet.* Scribonius Largus capite CXXXV. *Cum autem calore temperata & potio datur abducenda.* nullo ſenſu: Lego, *cum autem calore temperata eſt potio, datur obducenda.* Idem CXXXIV. *frigidæ vel calidæ productæ* meminit, ubi & *perductæ* jubeo reponendum. Apulejus: *repertum vino poculum continuo perduxit hauſtu.* Arnobius libro V.

Inde manu poclum ſumit, riſuque ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Sæpe & ſcillino pelluntur noxia Baccho.] Veteres membranæ avitæ: *Sæpe & ſcyllitico pelluntur noxia Baccho.* fortè mutandum: *Sæpe & ſcillitico*, σκιλλητικῷ οἴνῳ. Sed placet impreſſum: *Sæpe & ſcillino.* Gloſſæ medicæ, *ſcillinum vinum*, ὁ ἀπὸ τῆς σκίλλης οἶνος. Sic etiam Dioſcorides libro V. capite XXVI. qui poſt ejus compoſitionem, ὑδρωπικοῖς præſertim conducere ſcribit. *Scillinum* etiam Plinius vocat, ſed *vinum ſcyllite* Palladius.

Eſt qui prævalidum frixo ſale miſcet acetum,] Non libuit mutare, cum tamen avitus & alii librorum habeant:

Eſt

Digitized by Google

Eſt qui prævalidum nitro ſale miſcet acetum.

Scribonius Largus capite XXXIII. *oportet verò ſecundum purgationem ſpongiis novis totum ventrem ex aceto & ſale ejuſdem menſuræ diluto & infervefacto imponere. &c.* Alterum etiam lectionis defendi poſſet ex Celſo: *at ſi id vitium eſt, cui leucophlegmatias nomen eſt, eas partes, quæ tument, ſubjicere ſoli oportet, ſed non nimium, ne febricula incidat: ſi is vehementior eſt, caput velandum eſt, utendumque frictione madefactis tantum manibus aquâ, cui ſal & nitrum & olei paulum ſit adjectum, ſic ut aut pueriles, aut muliebres manus adhibeantur, quo mollior earum tactus ſit.* Suprà Serenus:

Vel nitro ac ſale permiſtis, acidoque liquore
Laxatis (ut ſint ſimul allia) tangere corpus.

Atque olei ſucco refricant turgentia membra.] Primò *refricat*, reſcribunt ex eodem Celſi loco. Uterque verſus tamen diſtinctus exhibetur in antiquioribus libris: Verùm cum hydropem λευκοφλεγματίαν ſive ἀνασαρκίδιον intelligat, vereor, ut hæc lectio ſatis vera ſit & antiqua. Quare avito cæteriſque addicentibus legendum ſuadeo: *refricant albentia membra.* Horatius Sat. II. lib. II. *pinguem vitiis albumque.* Oda II. lib. II. & *aquoſus albo Corpore languor.* Quod expreſſit Serenus:

Unguine quo frangit vires languoris aquoſi.

Fraxineum ſemen cum Bacchi rore bibendum eſt.] Plinius libro XXIV. capite VIII. de fraxino: *ſemen foliis ejus ineſt, quo medentur jocineris & lateris doloribus in vino, aquam, quæ ſubit cutem, extrahunt.* Sic ille Plinii locus eſt legendus & interſtinguendus.

Nec non appoſito curantur diopace membra.] *dropacem appoſitum* intellige, δρωπακιστὸν φάρμακον, linimentum dropace intinctum. Sic habes apud Æginetam libro primo, capito trigeſimo, cujus locus ita ſanandus:

dus : *καθιέναι λίνον εἰς αὐτὸν καταβαφὲν τῷ δρώπακι, καὶ προσπιεσθὲν ἐξέλκειν, ἅμα γὰρ τῶν πόρων ἐκκάθαρσις γίνεται, καὶ ἅμα τῆς ἀκοῆς πρόκλησις.* Etiam *ψίλωτρα φάρμακα dropacem* vocabant. Martialis X. Epigr.

Levis dropace tu quotidiano,
Hirsutis ego cruribus, genisque

levis dropace quotidiano, levigatus faciem quotidianis depilationibus. qui ejusmodi dropacistis operam dabant, nudi ad solem exponebantur.

Aut calido filicis radicem mollit Jaccho,] ——— *salicis radicem mollit Jaccho*, liber Gryphianus. *filocis* avitus: unde *filicis* videtur retinendum. Vide etiam Plinium.

Qui subito raptos ventos succosque revellit] *Qui subito ruptos*, melior avitus. Cicero in Vatin. *ut aliquando isti ilia, quæ sunt inflata, rumpantur.* Virgilius: *rumpantur ut ilia Codro.* eo verbo magis etiam *τυμπανίας* exprimitur.

VENTRI MOLLIENDO.

SÆpe cibi specie, vitio vel corporis ipso,
Potibus aut duris restricta morabitur alvus.]

Quum cibi specie, id est, qualitate sæpe remoretur alvus, quales species à Celso numerantur libro secundo, capite trigesimo; vel ipso corporis vitio, puta, jecoris inflammati, cæterarumque partium internarum: vel denique duriore potu assumpto astricta fuerit: commodè eam moram talibus remediis, qualia hic numerantur, sanabis. Hic sensus eorum versuum, sed aliter ex melioribus antiquis legendorum:

Sæpe cibi specie, vitio vel corporis ipso,
Potibus aut duris quum astricta morabitur alvus,
Vincetur sellæ mora gramine Mercuriali.

scri-

Digitized by Google

ſcriptum erat in avitis membranis :

Vincetur ſalæ mora gramine mercuriale.

quæ ſcriptura cum minus arrideret ; extemplò reformabam , *ſellæ mora* , eamque conjecturam meam viro τῶ κριτικωτάτων elegantiſſimo Ioh. Fred. Gronovio per epiſtolium comprobabam. *ſellæ moram* vocat, alvum reſtrictam & morantem. Marcellus Empiricus alibi pari modo loquitur & eodem ſenſu: *per vomitum & ſellas , τὰς ἀφεδρῶνας.* Heſychius : ἀφεδρῶνες , σέλλαι , σελλάρια , σωτήρια ἀναγκαῖα : quæ poſtrema legenda ſunt , σωτηρίαι , ἀναγκαῖα. *ſellas familiaricas* vocant rei ruſticæ autores , & *ſellas familiæ* Cato. Inde *adſellare* , verbum ſolenne Vegetio de re veterinaria, quod gloſſæ exponunt ἀφοδεύειν. libro III. *deinde ſale & melle miſtis in anum infundes , ut adſellandi augeat voluntatem* , Sammonicus hoc dixit : *ſalſum mulſumque capeſſes.* Eam autem ſellæ moram gramine mercuriali , (vel *mercurialis* , ut aliàs etiam legitur) emollies: hoc,quod Scribonius Largus capite XXXIV. ſubindicat , cum dicit : *mollit ergo alvum herba mercurialis lenibus oleribus quamplurima mixta.* Quæ verba , ut alia remedia , verbotenus ab eo deſcripſit Marcellus capite XXX. Sed obſervandum aliter ibidem præſcribi eam herbam , nimirum cum lenibus oleribus ; aliter à Sereno , cum adjecto melle. Idem Marcellus eodem capite cholericis hanc compoſitionem commendat , quam adſtrictis Serenus. Verba ejus ſunt : *herba mercurialis pro certo bilem potentiſſimè protrahit , ſi eâ coctâ vice oleris veſcaris , ejuſque aquam in qua cocta fuerit , adjecto melle potaveris. hoc enim ægris ſine difficultate ſuccurrit. ſanis eadem aqua cum condito , ſi ita malint , optimè datur.* Quæ verba, & ventri molliendo eandem ſyntheſin conducere , ſatis innuunt plura enim medicorum conſilia ſunt , quæ ſingula diverſis morbis & affectibus accommodantur.

Plinius hoc ipſum de eadem mercuriali vel ejuſdem decocto, ex Hippocratis autoritate teſtatur, libro XXV. capite V. *decoctum ejus dedit cum myrrha & thure. alvo quidem ſolvendæ, vel in febri: decoquitur quantum manus capiat in duobus ſextariis aquæ ad dimidias. bibitur ſale & melle admixto, nec non cum ungula ſuis, aut gallinaceo decoctum ſalubrius. Purgationis cauſa putavere aliqui utranque dandam* (utrumque ejus genus) *ſive cum malva decoctum. Thoracem purgant, bilem detrahunt, ſed ſtomachum lædunt.* Dioſcorides περὶ λινοζώστεως. Κινοῦσι δὲ ἀμφότεραι κοιλίαν λαχανευόμεναι καὶ ἐσθιόμεναι. καθεψόμεναι δὲ ἐν ὕδατι καὶ πινομένου τοῦ ὕδατος, ἄγουσι χολὴν καὶ ὑδατώδη.

Prunaque conveniunt, quæ mittit clara Damaſcus.] Malè hic verſus affectus eſt in veteri avito:

Pamaque conveniunt, quæ mittit cara Damaſcus.

miror, neminem eam lectionem ex ſchedis exaratis indicaſſe, aut inventam quitum eſſe ſanare. nos tamen haud ingenio deerimus ex æquo decernentes, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Scribo igitur:

Pomaque conveniunt, quæ mittit cara Damaſcus.

poma pro prunis, μῆλα αὐτὶ τῶν κοκκυμήλων. Nicander: μῆλον ὃ κόκκυγος καλέουσι. Auctor collectaneorum Geoponicῶν: κοκκύμηλον, ἐστὶν ὃ νῦν καλοῦμεν Δαμασκηνόν. Plinius de perſeæ pomo: *ſed ubi nux illi, huic pomum differens brevitate ac mollitie.* ubi *prunum* pro *pomum*, reſtituerunt emendatores. Nos in Sereno eam lectionem non abſurdam toleramus.

Aut igitur tectum lanâ ſupponis alumen,] notant in alio legi, *tactum*: ineptiſſimè. Marcellus: *aluminis liquidi paululum lana involutum, & podici ſubjectum evocat ſtercus, & ſine fatigatione deducit.* Idem alterum verſum exponit: *ſambuci coliculi teneri decocti cum oleo & garo manducati, ventrem continuò ſolvunt.*

Vel

Vel cum lacte capræ salsum mulsumque capesses.] Nihil censeo mutandum. inter ea, quæ ventrem moveant, à Celso connumerantur etiam *lac, lactaria omnia, mulsum, vinum dulce, vel salsum, aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia, elixa, jurulenta, salsa diluta.* Marcellus capite XXX. *Serum de lacte bubulo adjecto melle & sale quantum satis sit, potui sumptum, morantem alvum impellit. Serum de lacte equino potui datum, facilè & sine periculo ventrem molliter purgat. Asininum lac cum melle potui datum, ventrem facile & sine periculo solvit.* Quæ verba sunt instar interpretationis trium versuum à Sereno sic exaratorum, quorum prior in avito nostro tamen ad hunc modum scriptus exhibebatur:

Vel cum lacte capræ malvam mulsamque capesses.

quod aliorum opinor, medicorum, consilio repugnat. *malvam* quidem ad hunc usum commendant, ut Martialis,

Exoneraturas alvum mihi villica malvas
Attulit.

& Macer, cujus hi versiculi citantur de malvâ:

Dixerunt malvam veteres, quod molliat alvum,
Esse cacostomacham Sextus Niger asserit illam.

Plinius medicus libro IV. cap. V. *Dioscorides & Galenus criminantur in malvis; quod corpus minimè alant, sed citato lapsu per meatum ventris erumpant.* Sed eadem synthesi cum ceteris eandem non præscribunt. non igitur ea damnanda sunt, quorum probabilior in medicina est usus. Cæterum & idem versiculus in aliis libris transpositus legebatur, ut ad oram editionis suæ notavit Henricus Stephanus:

Vel salsum mulsum capræ cum lacte capessis.

Sylvestris fici lachrymam prodesse loquuntur.] *lachrymam* vocat, quem *lacteum succum* Dioscorides. περὶ σύκων. ὁ δὲ ὀπὸς τῆς ἀγρίας καὶ τῆς ἡμέρου συκῆς, πηκτικὸς ἐστι

γάλακτος ὥσπερ ἡ πιτύα, λύει δὲ καὶ τὸ πεπηγὸς ὥσπερ τὸ ὄξος. ἑλκτικός τε σωμάτων καὶ ἀνασπασματικὸς, κοιλίας τε λυτικός. Cæteri medicorum filii δάκρυον appellant cum Sereno. Ariſtoteles libro nono de hiſtoria animalium: φέρουσι δὲ τ' ἄλλων ἀνθέων καὶ ἀπὸ τῶν δένδρων τὰ δάκρυα. Theophraſtus primo φυτῶν αἰτιῶν: τῶν γὰρ ἦρος πολλὴ λίαν ὑγρότης πρὸς τὸ διατηρεῖν ἕως ἔτι μένει τὸ δάκρυον. Idem & ὀπὸν (*lac* etiam Varro nominat) & δάκρυον eodem libro conjungit. In quarto conſuetudinem ſermonis expoſuit, & quid ipſe hac de re ſentiret, timidè tamen indicavit: καλοῦσι δὲ τὰ μὲν, ὀποὺς, τὰ δὲ δάκρυα, κοινότερον δὲ ὁ ὀπός. διαφέρει δὲ ἴσως οὐδέν. Inde ὀπίαν caſeum appellat Cyclops apud Euripidem:

Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ καὶ βοὸς γάλα.

Quodque ſatis melius verbis dicemus Horatî,
Mugilis, & viles pellent obſtantia conchæ.] *Satis melius*, ſatis benè, vel optimè. Virgilius: *Nona fugæ melior.* *ſatis melius*, ut *magis melius*, apud Boëthium de conſolatione philoſophiæ, libro II. cap. V. Cæterum alterum Horatii verſum aliter exhibent optimi codd. Horatiani:

Mitulus, & viles pellent obſtantia conchæ.

μύακες & κέφαλοι eadem naturâ medicis obſervantur, aptius tamen *mitulum* ac *mugilem* conchis jungi, me docuit amiciſſimus Gronovius. De conchis Athenæus: Διοκλῆς ὁ Καρύστιος ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς, κράτιστά φησιν εἶναι τῶν κογχυλίων πρὸς διαχώρησιν καὶ οὔρησιν μύας, ὄστρεα, κτένας, χήμας. Idem ex Diphilo Siphnio medico ſcribit, urticam marinam (*conchæ* genus eſt) alvo ducendæ commodam eſſe, provocare lotium, ventriculum juvare: Δίφιλος ὁ Σίφνιος ἰατρὸς, ἡ δὲ ἀκαλήφη, φησὶν, ἐστὶν εὐκοίλιος, οὐρητικὴ, εὐστόμαχος. &c.

Sed cochleas prius eſt urtica & furfure paſci,] *Prius* id eſt, melius. Infra: *Sed prius eſt oleo partus ferveſcere ranæ.* Paſcebantur autem ſagina, quâ fiebant altiles

tiles & ſalubriores. Gloſſæ, σιτία, ἡ σίτευσις, *ſagina cochlearum.* Plinius de Fulvio Hiſpino: *quin & ſaginam earum* (cochlearum) *commentus eſt ſapa & farre, aliiſque generibus* (inter ea *urticam* intellige) *ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent.* eundem ſaginandarum cochlearum modum etiamnum in Anglia obſervant. De ſalubritate cochlearum alterum verſum intelligit, cum dicit:

Purior hinc guſtus noxâ ſine moverit alvum.

Purior, melior, ſalubrior. Horatius:

Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit.

meliora, puriora, χρηστότερα. Omnes cibos exquiſitiores χρηστοὺς Græci dicebant, *puriores* Latini: unde χρηστοφάγοι, qui iis delectabantur. In conſtitutionibus Clementis Apoſtolicis de epiſcopo: ἔστω δὲ μὴ δαπανηρὸς, μὴ τρυφητὴς, μὴ ἡδύβιος, μὴ χρηστοφάγος.

Sæpe thalaſſomeli adjecto cumulavimus imbri.] Marcellus: *Thalaſſomeli, quod jucundiſſimè & inflationes deponit, & ventrem purgat ſine ſtomachi vexatione.* & tamen vehementer purgare conſtat. περὶ θαλασσομέλιτος Dioſcorides, δοκεῖ καθαίρειν ἀνδρικῶς. Sed ille Sereni verſus ex libris antiquis exhibetur:

Sæpe thalaſſomeli junctum cumulavimus hymbri.

corrigo: *Sæpe thalaſſomeli fundum cumulavimus hymbri. fundum* latinè vocat, imam ventris partem, ſive ipſam alvum fæces congeſtas continentem. Ita *cordis, jecoris, uteri fundum* dicebant medicorum filii. Gloſſæ: κοιλία, *ventris fundum, alvus.* Sæpe eâ compoſitione, quæ æquis portionibus maris, mellis & imbris ex alto, id eſt, aqua marina de profundo, cum ſale mixta & pari menſura mellis optimi deſpumati commiſcetur, remorantem alvum reſolvimus, ſive fundum purgavimus: hic ſenſus eorum verſuum, nec ad ſuperiores trahendus: ſolum enim θαλασσόμελι commendat ad alvum difficilem reſolvendam ſive molliendam.

Hæc purgant, parili fuerint si pondere mista.
id est, ejus θαλασσομέλιτος synthesis & commixtio alvo adstrictæ medetur. cujus compositionem habes apud Dioscoridem libro V. capite XX. & Marcellum capite XX.

SOLUTIONI VENTRIS, ET DYSENTERIÆ COMPESCENDÆ.

TAm varii casus mortalia secla fatigant.] *secla* de humana ætate dixit: vel *secla*, pro genere humano. Lucretius libro I.

Efficis ut cupidè generatim secla propagent.

III. *Desiperent homines, saperent fera secla ferarum.* & alibi: *serpentia secla ferarum.* Serenus *ævum* suprà de humanâ ætate dixit:

Perpetuoque ævo frontem præstare severam.

Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alvi] Liber avitus: *Sæpe ege cum nimio cursu fluit impetus alvi.* Scribo: *Sæpe, age, cum nimio cursu fluit impetus alvi.* impetus alvi, ut apud Celsum libro IV. capite XIX. *primo die quiescere satis est, neque impetum ventris prohibere. fluor* autem & *fluxus* propriè de alvo resoluta dicitur. Idem Celsus: *sed uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est.* Serenus de dysenteria:

Sin autem longo decurrent intima fluxu.

& infrà: *Immensum poterit potu retinere fluorem.*
Antigonus dixit: διωκόμενοι δὲ σφοδροειδὲς πόῤῥωθεν. illud πόῤῥωθεν est, per longos fluxus & aspergines. Apulejus libro IV. *nisi dolore plagarum alvus artata, crudisque illis oleribus abundans, & lubrico fluxu saucia, fimo fistulatim excusso, quosdam extremi liquoris aspergine,*

Digitized by Google

gine, alios putore nidoris fœtidi à meis jam quassis scapulis abegisset.

Frænat commisto quum fervet brassica vino] *Quum fervet*, non leviter, sed quum percoquitur. Dioscorides περὶ κράμβης· ἡ ἥμερος εὐκοίλιος, ἀκρόζεστος ἐσθιομένη, καθεψηθεῖσα δὲ κοιλίαν ἵστησι, καὶ μᾶλλον ἡ δίσεφθος καὶ ἐν κονίᾳ ἑψηθεῖσα. Plinius, ubi Græcorum opiniones de brassica, Catonis, convenire memorat, tandem adjungit: *biles detrahere non percoctam putant, item alvum solvere, eandemque bis coctam sistere. vino adversari, ut inimicam vitibus.* Sed in avito scriptum:

Frænat non misto quum fervet brassica vino.

non mistum, est ἄκρατον. χάλιν vocant antiquissimi Poëtæ Græci. Hipponax: ὀλίγα φρονοῦσιν οἱ χάλιν πεπωκότες. Glossæ: χαλίκρατον μέθυ, οἶνος κεκερασμένος. Apollonius: πίνε χαλίκρητον λαρὸν μέθυ. quæ Sereni lectio ex Dioscoride posset admitti: nihil tamen immutandum. neque omnem brassicam coctam medici intelligunt, sed superiorem brassicæ cymam. Cato de Re rusticâ, capite CLVI. *alvum si voles dejicere superiorem, sumito brassicæ, quæ levissima erit, p.* IIII. Viri doctissimi rectè restituerunt: *alvum si voles dejicere, superiorem sumito cymam brassicæ.* quid *cyma* sit, te Plinius docebit libro XIX. cap. VIII.

Aut cerasi victum longo jam tempore pomum.] *Pomum cerasi*, ut, *Castaneas coxisse nuces.* Grammatici sanciunt: *nuces generaliter dici omnia tecta corio duriore, ut sunt avellanæ, amygdalæ, juglandes, castaneæ: ut contrà poma dici, omnia molliora.* Afranius: *pomum olus, ficum, uvam.* Cicero œconomico: *oleam, ficos, poma non habet.* Græci μῆλον aliquando de omni genere fructuum δενδριτῶν usurpant, aliquando ad certam speciem restringunt: ita & Latini suum *pomum.* Hesychius: μῆλον, παντὸς δένδρου καρπός, ἐξαιρέτως δὲ τῆς μηλέας. idem: μῆλον, καὶ πᾶς καρπός. antiqui *malum* de

nostro

noſtro pomo dicebant, & *pomum* περὶ τῆς παντοίας ὀπώρας. Gloſſæ *pomum*, ὀπώρα : *pomarium*, ὀπωροφυλάκιον. *Ceraſi pomum* ideo rectè Serenus dixit. Ammianus XXII. *Ceraſus, unde advexit ejuſmodi poma Lucullus.* eam interpretationem Sereno accommodant ineptiſſimi rerum medicarum interpretes: quaſi nimirum à Lucullo, qui primus ceraſos Romam è Ponto invexit, longo ab hinc tempore pomum notum dicatur & victum. Hieronymus: *hoc genus pomi Ponto & Armeniâ ſubjugatis de Ceſarunte primus Lucullus Romam pertulit: unde & de patria arbor nomen accepit.* Quod etiam ineptiſſimum. nam & ante Lucullum in Italia ceraſa fuerunt. Servius: *hoc primum* (de ceraſo loquitur) *etiam ante Lucullum erat in Italia: ſed durum & cornum vocabatur; quod poſtea incepto nomine corno ceraſum dictum eſt.* κερασοῦς ἀπὸ τῶν κεράσων, ut ἀγνοῦς, αἰγειροῦς, ὀρχαδοῦς, ῥαμνοῦς, μυῤῥινοῦς, & ſimilia his, ab aliis plantis locorum deducta nomina. nihil ineptius eſt, quam eam expoſitionem hiſtoricam pro medicâ Sereno accommodare. *Pomum ceraſi longo tempore victum*, ille ſiccatnm vocat, quod alvum adſtingat. Dioſcorides περὶ κερασίων. κεράσια καὶ αὐτὰ μὲν χλωρὰ λαμβανόμενα, εὐκοίλια τυγχάνει. ξηρὰ δὲ ἵστησι κοιλίαν.

Succus aminææ vitis cum pane medetur.] Celſus etiam *panis circa ſelibram ex vino aminæo mero* ſumendam præcipit, libro IV. de ventris fluxu & ejus curatione. *Aminæa vina*, longè notiſſima. Virgilius:

Sunt & aminææ vites, firmiſſima vina.

ubi *Taminiæ*, Verrius ex antiquis legiſſe videtur. Heſychius, quod apud nullum reperias: ἀμιναῖον, δι' ἑνὸς ν, τὸν οἶνον λέγει. ἡ γὰρ πολικελία, Ἀμιναία λέγεται. Vetus Inſcriptio: VINEAM. VOBIS. AUGUSTALES. IDCIRCO. DARI. VOLO. QUÆ. EST. AMINÆA. Iſidorus ex Servio: *Aminæum,* *quaſi*

quasi sine minio; id est, quasi sine rubore, nam album est. Sed Græca vox est. Ἀμμιναία σταφυλὴ apud Dioscoridem. *succum*, ipsum vinum vocat. Celsus: *ex vino aminæo mero.* Malè uvæ sanguinem exponunt, αἷμα τῆς σταφυλῆς: vel ὀπὸν, vitis humorem ab arbore destillantem. *lachrymam*, eam Serenus appellat, nunquam *succum.*

Vel bene permistum calida potatur acetum.] Celsus ubi suprà: *frigidam autem assiduè potionem esse debere, contrà priores autores Asclepiades affirmavit, & quidem quàm frigidissimam. Ego experimentis quemque in se credere debere existimo, calida potius an frigidâ utatur.*

Vile quidem facili facto, tamen utile opinor.] Libri meliores: *Vile quidem, facile est factu, tamen utile opinor.*

Si lædunt medica data purgatoria dextra,
Adjecto piperis medicatur pulvere calda.] Ad oram editionis à Stephano curatæ legitur:

Si lent ent medica data purgatoria dextra.

fortè reponendum: *Si lateant medicâ data purgatoria dextra. letaant*, mendosè scriptum in avito. Judicent eruditiores. *calda* θερμόν. Glossæ: *calda aqua*, θερμὸν ὕδωρ. ita *calda aqua* integrè apud Vitruvium libro V. cap. X. hoc creberrimum occurrit apud Marcellum. Varro libro septimo de L. L. *monet caldissimum tamen non dici, etsi analogia id postularet.* De Sextiliano Martialis ep. XII.

Jam defecissent potantes calda ministros;
Si non potares, Sextiliane, merum.

Torridus ex vino cortex potabitur ovi.] *Corticem* pro testa venustè dixit. *vestem ovi*, vocat Marcellus: *vestem ovi delicatam interiorem siccatam contere, vino misce & cola, & ex aqua calida dysenterico da bibendam.* Græcis eleganter ὄροφος, velut tectum & fornix, ac quasi concameratio quædam est ovi. Glossæ medicæ:

cæ, ὄροβος (lego ὄροφος) *ovi testa.* Sic perperam in aliis medicis sæpe legitur: ὠὸν ὁλόκληρον χωρὶς τοῦ ὀρόβου. omnino legendum, τοῦ ὀρόφου.

Ramentum nivei credunt prodesse elephantis.] Ramentum eboris. Glossæ Philoxeni: *ramenta*, ξύσμα, ξύσματα.

Arbore Pyramea cortex direpta coquetur.] *Phyramea* legit avitus. *Phyramea* pro Pyramea: ut *Phyrama* pro Pyrama, apud Plinium. *Arbores Pyramea*, id est, moro, sub quâ Pyramus amasiam suam Thisben à leænâ dilaniatam credens, gladio se perfodit.

Proderit & pueris; quos dentis origo fatigat] Fortè legendum: *quos ventris origo fatigat. ventris* integrè scriptum invenio in veteri avito. Glossæ: *venter* διαχώρησις, ἀποκάθαρμα. Sed illud lectionis etiam potest defendi, nec debet immutari. *quos dentis origo fatigat.* innuit eorum ætatem, quæ uberum suctum jam primulum desuevit, & , ut Hippocrates ait, ὀδοντοφυεῖν ἄρχονται. Græci ἀπογαλακτοὺς appellant, *exuberes* Latini: nam qui juniores erant, *sububeres* vocabantur, ὑπομάζιοι. Isidorus: *sububeres, infantes qui adhuc sunt sub ubere.* Græci medici distinguunt inter ὀδοντίασιν & ὀδαξισμόν. gingivarum pruritum antè dentitionem, cui dolor quidam subest, appellant ὀδαξισμόν, non ipsam dentitionem, ὀδοντίασιν vel ὀδοντοφυΐαν; sed pruritum in gingivis ante dentes erumpentes. utriusque nomine Serenus complexus est, *quos dentis origo fatigat. dentire* propriè pueri dicuntur, quibus primum dentes oriuntur, nam & *dentire* vocabant, quod Græci μυλιᾶν. ut apud Hesiodum, δεινὸν μυλιόωντες. Hipponax βαμβακίζειν:

> Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι. κάρτα γὰρ ῥιγῶ,
> Καὶ βαμβακίζω.

iis igitur, quibus jam primuli dentes suboriuntur, & quos dentium origo fatigat, præscribuntur hic ad dysente-

Digitized by Google

ſenteriam & alvum ſiſtendam caſtaneæ coctæ & ſorba vetuſta, id eſt, arida, magiſque ea quæ torminalia vocantur, ut Celſus habet libro II. capite XXX. ea enim diſſecta & in ſole ſiccata, ventrem adſtringunt. Plinius de meſpilis & ſorbis: *meſpila, exceptis ſetaniis, quæ malo propriorem vim habent, reliqua adſtringunt ſtomachum, ſiſtuntque alvum. Item ſorba ſicca, nam recentia ſtomacho & alvo citæ proſunt.* Dioſcorides: ἔτι τὰ μηλίζοντα καὶ μήπω πέπειρα τμηθέντα καὶ ξηρανθέντα ἐν ἡλίῳ, σταλτικὰ γίνεται κοιλίας ἐσθιόμενα. Scribo igitur ex avito libro:

Caſtaneas coxiſſe nuces & ſorba peruſta.

id eſt, in ſole ſiccata, ξηρανθέντα ἐν ἡλίῳ, ut habet Dioſcorides. quam lectionem ne temerè ex uno libro adſtruere videar, etiam Statii teſtimonio demonſtrabo, qui alibi ad eundem ſenſum dixit:

Et maſſis amerina non peruſtis.

ſic *ſorba peruſta* rectè Serenus appellat, quæ diſſecta in ſole ſiccabantur, & alvo ſiſtendæ conducebant. Varro libro primo de P. R. *ſorba quidem diſſecta, & in ſole macerata, ut pira.* Plinius XXII. cap. VII. *pirum ſilveſtre tardiſſimè matureſcit, conciditur ſuſpenſumque ſiccatur.* Palladius in Februario: *item pira diviſa & purgata granis in ſole ſiccantur. arida ſorba* Celſus appellat, & *ſicca* Plinius, quæ *peruſta* Serenus, cujus igitur verſus ita legendus:

Caſtaneas coxiſſe nuces, & ſorba peruſta.

in eodem avito libro malè priora diviſim legebantur, quæ omnino conjungenda:

Caſtaneas coxiſſe, nuces, & ſorba peruſta.

nam *nuces* omne pomum vocabant tectum duriore corio, ut ſupra notavimus. Virgilius eclogâ ſecundâ.

Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabas.

quatuor nucum genera Græci numerant, τὸ κάρυον, τὸ λεπτοκάρυον, τὸ ἀμύγδαλον, καὶ τὸ κάστανον. Heſychius:

καρύαι,

καρύας, τὰς ἀμυγδάλους καὶ καστάνους. Athenæus: Ἡρακλέων δέ φησιν ὁ Ἐφέσιος, κάρυα ἐκάλουν καὶ τὰς ἀμυγδάλας καὶ τὰ νῦν καστάνεια. Plura alii obſervarunt, hæc tantum illuſtrando Sereno conferuntur.

Potio quæ fluidam conſumpta morabitur alvum.] Libri mendoſi cæteris collati legebant:

Potio quæ fluidam quum ſumpta morabitur alvum. hoc etiam à Stephano notatum in orâ ſuæ editionis.

LUMBRICIS ET TINEIS PURGANDIS.

— *interno cum viſcere tinea ſerpens,*

Et lumbricus edax vivant inimica creanti] Sic libri degeneres ac vilioris notæ: *interno cum viſcere tinea ſerpens.* quod etiam metro repugnat, quamvis ex hoc primam in *tinea* ancipitem eſſe colligat Quinctianus Stoa, monente Voſſio libro II. de arte Gram. cap. XXXIX. Scribe ex avito meo & cæteris Stephano collatis: *interno cum viſcere tænia ſerpens.* quod etiam iidem libri in lemmate hujus capitis obſervant. Ταινίαι Græcis dicuntur ἕλμινθες, quum opponuntur iis ἀσκαρίδες. *Tænias* Latini vocant, & *tineas,* cum extra metrum loquuntur. Gloſſæ: ταινίαι, πλατεῖαι κειρίαι. ſcribo, πλατεῖαι, κειρίαι. Sunt enim lumbrici lati & oblongi, adinſtar faſciarum, ut κειρίαι adinſtar inſtitarum. In Plinio etiam *tineæ,* pro *tæniæ* malè ſcriptum, quod fortaſſè Gazam apud Ariſtotelem tranſvorſum egit, ut libro quinto capite eodem de hiſtoria animalium, ἕλμινθας *tineas* redderet. Gloſſæ medicæ: ἕλμινθες, *lumbrici.* hoc generis nomen eſt: ei cum diſtinctius loqui amant, differentias addunt. Sic ἕλμινθας στρογγύλας appellant *teretes lumbricos,* quales iſti vermiculi ſunt, qui in fœtunticetis naſcuntur, &

Digitized by Google

& ἔντερα γῆς Græci vocant, *lumbricos terrestres* Latini: sic ἕλμινθα πλατεῖαν, *latum lumbricum* vocant & *oblongum*, quem ταινίαν exponunt, *tæniam* & *tineam*. Ægineta Galenum secutus tria lumbricorum genera numerat, ἕλμινθας στρογγύλας, πλατείας & ἀσκαρίδας. Celsus autem Hippocratem, ut solet, imitatus, duo tantum genera ponit: ille enim ἀσκαρίδας, hic πλατεῖαν silentio transivit. Serenus etiam Celsum secutus, *lumbricos*, ut videtur, cum dicit, *teretes* intelligit; cum *tineam*, ἕλμινθα πλατεῖαν, *latum lumbricum*. quod ex illo versu patet, quo de teretibus seu rotundis lumbricis loquitur.

Quod genus assiduo laniat præcordia morsu.

de eodem genere testatur Ægineta, multos neglectos ab ipsis corrosos esse, & convulsos periisse: alios etiam vidisse, genus hoc per inguina ægrorum egressum.

Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret.] Celsus de lumbricis alvum occupantibus: *nonnunquam autem lumbrici quoque occupant alvum, hique modo ex inferioribus partibus, modo fœdius ore redduntur.* Aëtius latinè factus: *qui in ore ventriculi lumbricos habent, magna ex parte eos evomunt: qui in intestinis, per inferiora excernunt.*

Ergo cinis cornu cervini proderit haustus.] ἐλάφου κέρας κεκαυμένον. Immo *cinerem* vocat ipsum ramentum. Scribonius Largus: *ad lumbricos satis commodè facit & sandonica herba quæ nunc viget, & cornum cervinum limatum lima lignaria quantum quatuor vel quinque cochlearia ex aquæ mixtorum decoctorum cyathis tribus, pridie maceratum: deinde tritum & datum aqua exigua adjecta.* Sic ille Scribonii locus ex Marcello legendus *cornum* pro *cornu* frequens est in libris medicorum. Celsus etiam *cervini cornus* dixit, lib. VI. *cornu, cornus, & cornum,* antiqui dicebant. Ovidius, V. metam.

curvavit flexile cornum, legente Prisciano. Idem Marcellus alibi: *cervini cornu combusti cinis tritus ex aqua potus, tineas potenter expellit.* hoc intellexit eo loco Serenus, & libro XXVIII. cap. XIV. Plinius: *tinearum genera pellit cervini cornus cinis potus.* & initio ejusdem capitis: *alvum sistit cervinus sanguis, item cornus cinis.* hoc ubique in Plinio videtur retinendum. Uterque Sereni versus capite *de vesica*, repetitur.

Prodest præterea cum Baccho persica frondis] Libri divisim legunt, ut ad oram notarunt editores:

Prodest præterea cum Baccho persica frons: &
Democritus memorat menthæ conducere potum.

nihil autem videtur mutandum: *Persica frondis*, ut suprà *Delphica frondis*, ἀρχαϊκῶς. Servius: *apud antiquiores singularis nominativus erat frondis: hodie verò & à fronte & à fronde unus est nominativus frons.* Glossæ medicæ: *persica frondes*, περσικῆς τὰ φύλλα, exponunt. Scribe: *persica frondis*, μηλέας περσικῆς τὰ φύλλα. Sic ea folia vocantur, quæ trita & umbilico imposita lumbricos occidunt. *nucleos de persico amaros*, adversus eosdem commendat Marcellus.

Democritus memorat menthæ conducere potum.] Plinius de mentastro: *tineas pellit ex aceto potum. tineas* vocat, quas ἕλμινθας στρογγύλας Dioscorides: περὶ ἡδυόσμου ἡμέρου. ὁ χυλὸς αὐτοῦ μετ' ὄξους καὶ ἕλμινθας κτείνει στρογγύλας.

Allia per sese sanant, aut jus coriandri.] Marcellus: *allium in œnomelite coctum, & voratum proderit lumbricis vel tineis necandis.* Jus coriandri, τὸ σπέρμα ὀλίγον μετὰ ποθὲν μετὰ γλυκέος ἕλμινθας ἐκβάλλει, ut idem Dioscorides habet, περὶ κορίου.

Synthesis hæc prodest unda mollita calenti.] σύνθεσις, commixtio medicaminum, in glossis exponitur.

Digitized by Google

COLO SEDANDO.

MAnde galeritam volucrem quam nomine dicunt] Plinius ejus usum in medicina melius expressit libro XXX. capite VII. *Coli vitium efficacissimè sanatur ave galerita assa in cibo sumpta. Quidam in vase novo cum plumis exuri jubent, conterique in cinerem, bibique ex aqua cochlearibus ternis per quatriduum. Quidam cor ejus adalligari femini. Alii recens tepensque adhuc devorari. Consularis Asprenatum domus est, in qua alter è fratribus colo liberatus est, ave hac in cibo sumpta, & corde ejus armilla aurea incluso.* Marcellus Empiricus capite XXIX. *Colo & omnibus intestinorum doloribus, & tam hominibus quàm jumentis ex hâc re laborantibus efficacissimè subvenit avis galerita (quæ Gallice alauda dicitur) sive ipsa assata in cibo sumatur, sive cum plumis suis combusta redigatur in cinerem, atque ex eo diligentissimè trito terna cochlearia ex aqua calida potui per triduum dentur.* ubi fortassè, *per quatriduum*, ex Plinio legendum. Græci κορυδαλλὸν vocant, ut eodem remedio Dioscorides: Κορυδαλλὸς ὀρνίθιόν ἐστι μικρὸν, ἔχον κατὰ τῆς κορυφῆς ὑπεροχὴν ὥσπερ ταῶς. οὗτος βρωθεὶς ὀπτὸς, κοιλιακοὺς ὠφελεῖ. *corydalum* latinè expressit Gregorius Turonensis libro IV. *in ecclesia Aruerna, dum matutinæ celebrarentur vigiliæ, in quadam festivitate, avis corydalus, quam alaudam vocamus, ingressa est.* & eodem capite Marcellus, qui lectionem ei si forte datam ex Plinio, judicavit ambiguam. *Corydalus avis (id est, quæ alauda vocatur) quæ animos hominum dulcedine vocis oblectat, cum suâ plumâ in vase fictili gypsato in furno posita, ita comburitur ut teri possit: contritæ autem tenuissimus pulvis reponitur, & quum opus fuerit, ex eo cochlearia duo vel tria cum aquâ calidâ per*

triduum aut quatriduum dantur. incredibile hoc colicis remedium, quod adeò prodest, ut omnia medicamina meritò superare videatur. Inde Trallianus annulum contra colicam commendat libro X. octangulo circulo cum hoc inscripto: ΦΕΨΓΕ, ΦΕΥΓΕ, ΙΟΥ ΧΟΛΗ, Η ΚΟΡΥΔΑΛΟΣ ΕΖΗΤΕΙ.

Aut pavidi leporis madefacta coagula pota] Græci τῆ πιτύαν λαγωῦ ποθεῖσαν, eodem remedio præscribunt. ejus varius in medicinis est usus, ut passim habes apud Plinium. Marcellus leporini stercoris pilulas etiam cum dulci vino, colico potandas commendat. Physicum non est sed superstitiosum, quod habet idem de talo lepori vivo abstrahendo: *lepori vivo talum abstrahes, pilosque ejus desub ventre tolles, atque ipsum vivum dimittes, de illis pilis vel lana filum validum facies, & ex eo talum leporis colligabis, corpusque laborantis præcinges: miro remedio subvenies.* & addit efficacius remedium in dimittendo pavido lepore, cum verbis valedictoriis: FUGE FUGE LEPUSCULE, ET TECUM AUFER COLI DOLOREM. Habet & annulum sanatorium, cui Græca pari fide inscripta sunt: ΘΕΟΣ ΚΕΛΕΥΕΙ ΜΗ ΚΥΕΙΝ ΚΟΝΟΝ ΠΟΝΟΥΣ. & auream laminam cum inscribendis characteribus luna prima vicesima, caprina corrigia in dextro aut sinistro pede ligandam:

L. * M Θ R I A
L. * M Θ R I A
L. * M Θ R I A.

in qua utenda tamen observabit affectus, sinistrum pedem semper prius esse calciendum. Alibi de iis remediis plura notavimus.

Nec non & species ambas redolentis anethi.] Sic optimi librorum. Scriptum tamen in avito: *sembes redolentis anethi.* fortè rescribendum: *semper redolentis anethi.* ut apud Lucretium: *semper florentis Homeri.*

ἀθάλ-

Digitized by Google

αἰθηάλοντο Ὁμήρου. *semper-florentis* ὑφ' ἓν est antiquo more legendum, ut *semper-Deus* apud Virgilium.

Namque erit ille mihi semper-deus.

Sic idem *ante-malorum* uno verbo dixit, præteritorum malorum, τῶν ἔμπροσθεν κακῶν, ut adnotavit Scaliger.

VESICÆ ET CALCULO PURGANDO, ET URINÆ PROVOCANDÆ.

S*I cui vesicæ tardus cunctabitur humor.*] Hoc versu Serenus ἰσχουρίαν imprimis, eam urinæ suppressionem quæ fit propter vesicam, videtur allusisse. Glossæ medicæ, quæ penes me sunt, ἰσουρίαν malè hoc vitium exponunt. ἰσουρία (lege ἰσχουρία) *suppressio urinæ propter vesicam*, cum humor nempe non redditur, neque debito modo excernitur. *humor vesicæ*, non medicè sed poëticè dixit. illorum filiis inter humores urina non numeratur. *Aquam* honestè de urina veteres dicebant. Petronius: *nec fefellit hoc Gnithona, extra cellam processit, tanquam aquam peteret.* etiam τὸ σπέρμα vocabant *aquam* unde illud:

Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.

Hæc mora rumpetur vino pervicta vetusto.] Dioscorides περὶ δυνάμεως τῶν οἴνων. οἱ μὲν τοὶ παλαιοὶ καὶ γλυκεῖς καὶ πρὸς τὰ περὶ κύστιν καὶ νεφροὺς ἐπιτηδειότεροι.

Aut hederæ succum, aut lachrymosi trita sinapis.] *intrita sinapis.* libri veteres, ut & eo versu:

Vel nepetæ ex vino intritum vel lacte capellæ.

Lachrymosum sinapi, quod cieat lachrymas. Ennius apud Macrobium: *nec triste quæritat sinapi, neque mœstum cœpa.*

Nec non resinas ex Oricia terebintho] Sed cur ex Oricia? hoc ob versum, non consilium dixit. omnes enim resinæ sunt οὐρητικαί. Propertius:

Sed thyiæ thalamo aut Oricia terebintho.

Servius ad illud Virgilii:

Inclusum buxo aut Oricia terebintho.

Oricos civitas est Epiri, juxta quam nascitur terebynthus nigrum lignum habens, folia in buxi speciem.

Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obscœnoque inficit imbri.] Transit ab ischuria ad contrarium vitium, nempe urinæ profluvium sive διαβήτην. Græci variè vocant ὕδερον εἰς ἀμίδα, διάῤῥοιαν εἰς οὖρα, διψακόν. Latini & Arabes modo diabeten nominant, modo HYDROPEM AD MATULAM. Fit cum subinde humor, corporis de loco in locum διαβαίνει, & non mutatus per vesicam emittitur. *Hoc irrigare exuvias & inficere obscœno imbri* dixit Serenus, cum nempe præceps urinæ fluentum, vestes, lectos, indumenta, & ipsam corporis cutem madefacit & inficit: omnia exuviarum nomine complexus est, quæ propriè tegmina dicuntur hominum, & tralatè superficies corporis humani. Non enim de serpentibus solum, sed omnibus quæ ἐκδύονται, *exuviæ* dicuntur. Græcis medicis ἐνουροῦντες appellantur, qui ob illud vitium lectos & strata permingunt, quasi ἐν τῇ κλίνῃ aut ἐν τοῖς στρώμασιν οὐροῦντες. Inde Diogenis Cynici jocus apud Laërtium, qui ob adolescentiæ prætextum crimen excusans, καὶ γὰρ ἐνούρουν καὶ τότε, ἀλλὰ νῦν οὔ, dixit, *tunc sane etiam stratum permingebam, sed nunc non item.* In Græco sic optimè restitutum, καὶ τότε pro θᾶττον, quod extra sensum, *lotium celerius reddebam*, ineptè verterunt.

Tum leporis cerebrum ex vino potare juvabit] *decebit*, pro *juvabit* quidam librorum exhibuerunt. *ex vino*, μετ' οἴνου ἀκράτου. Perperam in Myrepso legitur eodem

eodem remedio: μετ' οἴνου εὐκράτου χλιαροῦ. quod subterfugit interpretes: remedia enim, quæ urinæ profluvio exhibentur, commodè ex mero propinantur. Marcellus: *leporis cerebrum in vino utiliter bibitur, ejusque testiculi tosti salubriter manducantur ab eo, qui vesicæ molestiis laborat.* quod de cerebro tradunt, alii de sanguine leporino in cinerem redacto notant.

Subveniet radix frondosæ epota cupressi] ἡ τὰ φύλλα ποθέντα μετὰ γλυκέος κ̀ σμύρνης ὀλίγης, κύστει ῥευματιζομένῃ κ̀ δυσουρίας βοηθεῖ. Dioscorides. *frondosæ cupressi*, quia cupresso folia non decidunt, vide Plinium libro XVI. capite XX.

Qui retinet cursus, gemitumque dolore frequentat.] *cursus*, ut *iter urinæ*, apud Celsum & alios.

Saxifragam seu fontigenam succurrere credunt.] Ad oram veteris Aldini reperio typis notatum:

Saxifragam seu sphongitem succurrere credunt.

quam lectionem si quis defendere malevelit, me non improbante lubens rescribet:

Saxifragam, seu spongitem succurrere credunt.

Spongitem, id est, spongiæ nomen repræsentantem, ut habet Plinius de gemmis. Dioscorides eandem lectionem satis tueri videtur περὶ τῶν ἐν τοῖς σπόγγοις λίθων. Λίθοι ἐν τοῖς σπόγγοις εὑρισκόμενοι, σὺν οἴνῳ ποθέντες τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτουσιν. Sed cum in avito libro legissem:

Saxifagam, seu spholitum succurrere credunt.

credebam Diis volentibus emendandum:

Saxifagam, seu tecolithum succurrere credunt.

saxifagam pro *saxifragam*, ex idiotismo eorum temporum. Græci recentiores etiam σαξίφαγον pro σαξίφραγον dicebant. Neophytus: σαξίφραγον οἱ δὲ πιτραῖαν, οἱ δὲ βρόχον. Χαμαίφυλλοι σαξιφράγαι, θαμνίον ἐστὶ φρυγανῶδες ἐν πέτραις κ̀ τραχέσι τόποις φυόμενον. Sic etiam alii medici Græcanici σαξίφραγον appellabant *saxifragam*, ex usurpatâ Latinâ voce. Galenus libro quinto ὑγιεινῶν, κίσηρον

apud Celtas naſci tradit, & ab ipſis appellari hanc herbam σαξίφαγον. Quod eum ſecutus Aëtius libro quarto capite trigeſimo etiam commemorat. Ægineta κίστρον à *ſaxifraga* diſtinguit, ſed utramque ciere urinam & calculos atterere ſcribit. Alterum quod emendavimus, etiam ex optimis medicorum poſſet adſtrui. Plinius: *tecolithos oleæ nucleus videtur, neque eſt ei gemmæ honos. Sed lingentium calculos frangit pellitque.* Aëtius eum ex calida potum efficaciſſimum tradit ad lapides renum; inefficacem verò tollendis calculis, qui in veſica generantur. Quod cum Dioſcoride cæteriſque pugnat. Idem Aëtius ex Necepſo: ὁ δὲ Νεχεψὼ, φησὶ, τρίψας τὸν τηκόλιθον μεθ' ὕδατος, καὶ ποιήσας γλοῖον παχὺ, καὶ ἀποξυρίσας τὰς τρίχας περὶ τὴν κύστιν, καὶ τὸ αἰδοῖον, καταχέει καὶ τήκει τὸν λίθον, τὸν ἐν τῇ κύστει. Anonymus de lapidibus: *tecolithus nucleo olivæ ſimilis, Spernitur cum videtur, ſed remediis bonus vincit aliorum pulchritudinem: Solutus quippe & hauſtus expellit calculos; renum calculos & veſicæ levat.* Utrumque igitur lectionis ſatis defendi poteſt, & me quidem volente alterutrum admitti.

Atque oleo miſtum bibitur, nec deſit acetum.] συσίνῳ ἐλαίῳ, quod ad renum & veſicæ dolores maximè præ cæteris commendant: Vide Dioſcoridem. Gloſſæ medicæ: μούσινον μύρον, χρῆσμα. lego: σούσινον μύρον, quod unguentum ex lilio apud Athenæum & Theophraſtum. Σοῦσα lilium, unde Suſa urbs ob amœnitatem.

Vinaque ſumantur fricto condita cumino.] Liber avitus:

Vinaque ſumantur ficto condita caroino.

fortè corrigendum ex eo: *facto condita carœno.* Græcis antiquioribus ἕψημα καὶ σιραῖον, Latinis *ſapa* & *defrutum* innotuerunt: Tertium genus muſti decocti eſt *carœnum.* Inter ea remedia, quæ conferunt calculoſis, etiam τοῦ καροίνου meminit Marcellus capite XXVI.

Palla-

Digitized by Google

Palladius libro II. cap. XIIX. *defrutum, carœnum & sapa uno genere conficiuntur ex musto. nam defrutum à defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, efficitur. Carœnum, quum tertia perdita duæ partes remanserint. Sapa, ubi ad tertias redacta descenderit.*

Sive palumborum capitur fimus acre ferorum.] Cum *fimi* primam alibi producat, lubens rescriberem: *Sive palumborum capitur fimum acre ferorum.*

CONCEPTIONI ET PARTUI.

IRrita conjugii sterilis si munera languent] *Si munia languent*, exhibente libro avito. Sed nihil mutandum. Infra: *Jurantes ludum Veneris munusque petendum.* Sanè *munera*, & quæ *munia* dicimus, ἔργα κυθήρης. Musæus: Κύπριδος ὡς ἱέρεια μετοίχεο Κύπριδος ἔργα. Nonnus libro XLII. Bassaricorum:

Ἔργα γάμων συνέθεσε δέμας δενδρώσατο Νύμφη.

Poëta anonymus: — τῆς Κύπριδος ἄψαυμένη ἔργων. Proclus in hymnis de Amoribus:

Πᾶσιν δ᾽ ἔργα μέμηλεν ἐρωτοτόκου κυθερείης.

negotimunia vocat Appulejus, quæ Plautus *operas*. Asinaria: *opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas.* Antipater Sidonius:

——— τὰ δ᾽ ἔμπαλι κύπριδος ἔργων
ἄπτομαι ———

Et sobolis spes est multos jam vana per annos] optima & elegantissima lectio est veterum librorum: *multos dum vana per annos. multos dum* dixit, ut *nihil dum*, observante Pithœo. *Spes sobolis*, τὸ ἔμβρυον. Solinus de aëtite: *spem uteri defendit à fluxibus abortivis.*

Fœmineo fiat vitio res, nec ne, silebo:

Hoc poterit quartus magni monſtrare Lucreti.] Utrum ea cauſa, qua mulier non imprægnetur, ſit à natura virili vel fœminea: hoc quartus extremus Lucretii te docere poterit, qui de rebus venereis, ſeminis profuſione, conceptione, formatione partus, imprimenda liberis ſimilitudine parentum, cæteriſque abundè tractat. Non igitur legendum, quamvis περιφραστικῶς ita avitus exhibeat:

Hoc poterit virtus magni monſtrare Lucreti.

Variis autem id experimentis probaverunt, utri conjugum eſſet adſcribenda ſterilitas. Sic ex antiquiſſimo Raſio Avicenna demonſtrat certius aliis indicium: nempe, ut ſuper aquam ſemina conjugis utriuſque proliciantur, ut quod ſupernataverit, judicandum ſit ſterile. Quidam ſuffitu pannorum, ſterilitatem explorabant, ut Hippocrates V. aphoriſm. LIX. & ad eum in commentario Galenus. Quorum judicia Serenus alludens, de ea re ſilere quam judicare ſe malle fatetur.

Sed natura tamen medicamine victa potenti,
Sæpe dedit fœtus ſtudio curante paratos.] Id de religione, quâ Veneris ſacris operaturi, prius ſacrificabantur, antiqui medici negabant; de ſuperſtitioſa medicina concedebant. Lucretius hoc eleganter eodem libro alludit, circa finem:

Quod plerique putant; & multo ſanguine mœſti
Conſpergunt aras, adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores ſemine largo:
Nequicquam divum numen ſorteſque fatigant.

& ſubjungit alias ejuſdem infœcunditatis cauſas, tres nempe, ſeminis craſſitiem, liquiditatem & tenuitatem. Quibus enim ſemen nimis incraſſum eſt, aut liquidum, vel etiam tenue; ii plerunque ſteriles judicantur. Poterit autem vitium illud conſiliis medicis ſanari, & curâ medicaminis natura reddi fœcunda, ut

Sæpe

Digitized by Google

Sæpe ſerat fœtus ſtudio curante paratos.

notabis, ita verſum hunc legi in antiquiſſimo libro, quem ubique pro avito laudamus:

Sæpe ſerit fœtus ſtudio curante paratos.

quod omninò nobis ſuſpectum eſt: non enim *natura fœminea* rectè *ſerere fœtus*, exponi poteſt, quæ *dare fœtus & edere*, juſtè dicitur. Eam enim intelligit, cum eidem naturæ medendæ conſilium adhibet, ſequente verſu:

Aut igitur leporis conſumit fœmina vulvam.

immo & ex priore verſu liquidum eſt, de natura & vitio fœmineo loqui poëtam:

Fœmineo fiat vitio res, nec ne, ſilebo.

Igitur natura fœminea ſæpe medicinâ ſanata, *dedit* id eſt, *edidit* fœtus, ſtudio curante paratos. *Naturam*, de fœminina rectè etiam exponunt autores. Gloſſæ: *natura*, γυναικεία φύσις. Cicero I. de Divinatione: *Parere quidam matrona cupiens, dubitans*, eſſet ne *prægnans; viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam.* Ubi *naturam* de naturali muliebri ſive ipſo utero rectè poſſumus exponere. Sed medicorum filii ἐν τοῖς ὅροις ἰατρικοῖς *naturam* interpretantur, vim quandam fœtuum formatricem. Quæ enim hominem ab initio conformat, auget, nutrit, & omnia in corpore munia exercet; iis rectè *natura* exponitur: nobis autem *natura*, pro utero & naturali hic verè ſumitur. ea non *fœtus ſerere*, ſed *dare*, dicitur. *ſerere fœtus*, naturæ virilis eſt; *edere*, muliebris. Lucretius ex auctoritate Sereni laudandus, eodem libro quarto:

Atque in eo eſt Venus, ut muliebria conſerat arva.

Inde *ſatus*, qui generatus: inde *Conſerentes*, Dii qui alvum & uterum Ocriſiæ conſeruerunt, apud Arnobium: *Ocriſiam prudentiſſimam fœminam Divos inſeruiſſe genitali, explicuiſſe motus certos.* Tibullus:

Dum tumet, & teneros conſerit uſque ſinus.

In

In antiquo Oraculo : *μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ.* Locus hactenus non intellectus , *ἐμοὶ δὲ τὰ ἀπόρρητα ἐκφέρειν εὔσημα κείσθω.* Nihil igitur in Sereno mutandum.

Aut igitur leporis consumit fœmina vulvam] Plinius libro XXVIII. capite XIX. *Si vulvæ leporum in cibis sumantur , mares concipi putant. Hoc & testiculis eorum & coagulo profici. Conceptum leporis utero exemptum, his , quæ parere desierint , restibilem fœcunditatem afferre. Sed pro conceptu, leporis saniem & viro magi propinant.* Quod de vulva leporis, idem de testiculis anserum Rhasis & alii medicorum testantur: si mensibus sedatis ilico à muliere comedantur, non solum ad excitandam libidinem sed etiam sobolem procreandam conferre. Idem etiam de *μήτρα*, sive vulva suilla veteres tradunt, quod revera *μητροποιὸς* sit ac fæcunda. Exstat apud Athenæum de eâ jocus in lurconis istius Hippocratis tres filios, libro III. capite XVII. Unde & proverbium : *alba scropha fœcundior*, ad quod Juvenalis alludens, ita videtur legendus :

Hysteriam Niobe , linguam Philomela rogat me.

mendosè in quibusdam ejus libris lectum memini :

Mesterilem Niobe ——

hystera vulva est, & matrix fœminarum , quam, quæ partu fœcundissima esset, isti Niobæ Vespa tribuit, ut voluit Satyricus. Martialis :

Me materna gravi de sue vulva capit.

antiquitus vulvæ non adnumerabantur eduliis: Plutarchus IX. Symposiac. *ἀλλὰ τὴν περὶ τὰ σιτία καὶ τὰ ὄψα καὶ τὰς ἄλλας διαίτας τοῦ σώματος ἐξαλλαγὴν, ὅση γέγονεν, οὐ παραλειπτέον. πολλὰ γὰρ τῶν ἀγεννεστάτων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι καὶ μῆτρα.* earum tamen in medicinis frequens & utilis usus, ut habes apud Plinium.

Aut ovis in stabulis fractas quum ruminat herbas ,]

Alii

Digitized by Google

Alii libri legunt : *carptas quum ruminat herbas.*

Sic cubitum noctu conjux festinat uterque.] Si nimirum herbam mercurialem *communiter* antè assumpserint : vel, si herbam mercurialem *communiter*, id est, duo ejus herbæ genera, masculum & fœmellam ante receperint. Plinius : *mirum est, quod de utroque genere proditur : ut mares gignantur, hunc facere, ut fœmina, illam. Hoc contingere si à conceptu succus protinus bibatur in passo.* quod ad verbum mutuavit à Dioscoride. Videtur autem ex utroque Sereni versus cum veteribus libris legendus :

Sic cubitum noctu conjux festinet uterque.

Ut facili vigeat servata puerpera partu,] Legitur in aliis libris : *Ut facili vigeat lebrata puerpera partu. Lebrata* etiam exhibet avitus. Fortè *librata* reponendum, pro *liberata* : nam *liberare* est ἀπαλλάττειν. Aristoteles : ῥᾷον ἀπαλλάττουσιν αἱ τὰ ἄῤῥενα κύουσαι. Sed non videtur illud *servata* mutandum.

Dictamnum bibit, & cochleæ manduntur edules.] Gryphianus & avitus : *Dictamum bibitur, cochleæ manduntur edules. dictamum* & *dictamnum* : ut *thamus* & *thamnus*. Columella : ——— *jam thami sponte virescunt.* bibitur à pariturâ δικταμνίτης οἶνος, qui menses & purgamentum à partu subducit. Dioscorides : ἄγει καὶ λοχεῖα καὶ ἔμβρυα. idem περὶ κοχλιῶν χερσαίων. ἔμβρυα ἄγουσι λεῖοι συντιθέμενοι. Etiam *cochleas*, quæ ad partum conducerent, Græci vocabant ἀνδροφυκτίδας. Epicharmus apud Athenæum, in nuptiis Hebes :

Θάτεραι δὲ τ' αἱ κόγχαι αἱ ἀμαθίτιδες τε κἀγχθέκιμοι
τε κλωγόνοι.
Τὰς ἀνδροφυκτίδας πάντες ἄνθρωποι καλέοντι
Ἄμμες δὲ λευκὰς τοὶ θεοί.

cochleas edules, quæ in cibo sumuntur ad maturandum & invitandum partum. Plinius : *cochleæ in cibo sumptæ accelerant partum.*

Aut

Digitized by Google

Aut qui olim menses minus octo moratus in alvo est,
Irrumpit thalamos & nexus solvit inertes:] Libri viliores exhibebant:

> *Aut quum olim menses minus octo moratus in alvo est,*
> *Erumpit thalamis & nixus solvit inertes.*

ex iis optimam correctionem dedêre medici, qui Sereno præfuerunt. *qui, subaudi partus,* in glossa typis exhibitum est à Gryphio, ut etiamnum in margine videtur. omnino autem *nexus* in Sereno legendum. Ovidius IX. Metamorph. hic tamen aliter emendandus: *Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.* Scribe non meo, sed doctissimorum hominum, Ad. Turnebi & Th. Dempsteri judicio: *Lucinam Nixosque pares clamore vocabam.* quod indubiè rectum est. Serenus autem *minus octo,* dixit, pro septem; quo nasci perfectum partum etiam Jurisconsulti medicorum auctoritate probant, *l. septimo, ff. de statu hom.* In eo mense frugifera partio contingit, Sempronii Corbulonisque exemplo, uti refert Plinius, utriusque consulis, quos Vestilia mater septimo mense genuit. In libris περὶ ἑβδομάδων, habet Hippocrates, septenarium numerum creandis inesse corporibus. nam semen fusum & fomite matris exceptum, septimo die in sanguinem commutari, septimo mense perfici ac plenum nasci, legitimamque partus dinumerationem mansuram, infantiumque dentes à septimo mense prorumpere. Idem περὶ ὀκταμήνου. οἱ ἑπτάμηνοι ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνονται. quam anni partem dimidiam censet, initio libelli περὶ ἑπταμήνου, clarè docet, nempe, centesimum octogesimum secundum diem: οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων καὶ ὀγδοήκοντα καὶ δύο, καὶ προσεόντος μορίου. Olympiodorus in Alcibiadem Platonis commentario: ἡμέρα ἐστὶν ἡ ἑβδομὰς εἰς κρίσιμος, καὶ ὅτι ἑπτάμηνα ζώσιμα. Censorinus de die natali:

septi-

ſeptimo jam partum eſſe maturum, eò quod omnibus numeris ſeptenarius plurimum poſſit. hic enim numerus ſuprà omnes myſticus eſt. ἔτος γὰρ μυστικώτατος ἀριθμῶν, ut ait Gregorius Nazianzenus. Adeo autem frequens ſeptimeſtris partus apud antiquos judicabatur; ut qui ante prodiret, *minorem*, qui poſtea, *majorem*, ſive *decimeſtrem* vocarent. Menander: γυνὴ κύει δεκάμηνος. Cæcilius:

Inſoletne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo atque octavo.

Irrumpit thalamos & nexus ſolvit inertes] Admonui in quibuſdam libris exhiberi hunc verſum:

Erumpit thalamis & nixus ſolvit inertes.

De priore membro reliquis dijudicandum relinquo; ego ſaltem poſterius defendam, *nexus* non *nixus* eſſe retinendum. non enim embryo cum naſcitur, *nixus* matris, ſed *nexus*, id eſt, uteri vincula ſolvit. Ovidius libro IX. ——— *magno*

Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.

& alibi: *uteri vinclis levor ipſa remiſſis.* hos nexus ſolvere partus dicitur, cum membranas pertundendo, quibus involvitur, erumpit. Gloſſæ medicæ: ἄμνιος, *nexus uterinus, totum fœtum involvens.* Sic ἄμνιος opponitur τῇ ἀλλαντοειδεῖ, fœtum tantum medium, zonæ inſtar ambienti. Tres uteri nexus iis numerantur, ἄμνιος, ἀλλαντοειδής, & χόριον. eos fœtus *ſolvit*, cum maturus edendus aperit & perrumpit. Horatius in carmine ſeculari:

Ritè maturos aperire partus.

nixus autem parturientium, ſunt ὠδῖνες. Virgilius IV. Georg.

In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt.

Arnobius libro III. *matrum intereunt cur quotidie millia parricidalibus nixibus interemptæ.* Feſtus: *Nixi dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante cellam Minervæ*

genibus

Digitized by Google

genibus nixa, velut præsidentes parturientium nixibus. Glossæ Philoxeni: *nixæ*, ὠδῖνες. Rufinus in expositione symboli: *Apes nescire conjugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est.* quæ versum Virgilianum exponunt. Phornutus: δοκεῖ δὲ καὶ πλείστοις ἡ αὐτὴ εἶναι καὶ εἰλήθυια, ἀπαύστως εἰλυμένη καὶ θέουσα περὶ τὴν γῆν. διὸ εὔχονται ἐλθεῖν αὐταῖς ἠπίαν καὶ λυσίζωνον αἱ ὠδίνουσαι.

Pulegii quoque purgati tunc convenit imber,] Oribasius ad partum difficilem commendat pulegii fasciculum in aquam mittendum, in eaque mulierem insidendam, libro quarto de locis affectis cap. CXIII. quod fortasse Serenus adludens, hunc versum, ut edidimus, exaravit. Legitur ille tamen ex avito & margine Gryphiani codicis:

Pulegio admixto venit embryo nectus aceto.

Quin etiam stercus supponunt vulturis atri.] Dioscorides περὶ ἀποπάτου. γυπὸς ὑποθυμιαθεῖσα, ἔμβρυα ἐκτινάσσειν παραδίδοται. de vulture mira non medica tantum, sed hieroglyphica produntur. Ammianus Marcellinus XVII. Ægyptii *per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inveniri, rationes memorant physicæ.* De vulturum conceptione Plutarchus. Plinius. Ælianus, & Theophylactus Simocatta φυσικῶν ἀπορημάτ. cap. η.

Sentiat ut minimè partus quàm proximus urget.] Ut nimirum fœmina minimè sentiat, quàm proximus immineat fœtus. *Partus* enim de fœtu dicitur, qui nondum est editus, embryo, quod est in utero. Vitruvius *partum* usurpavit ἀντὶ τοῦ κυήματος, *fœtum* de puerperio. libro secundo, capite nono: *uti etiam corpora muliebria cum conceperint ad fœtus à partu non judicantur integra.* à Tertulliano *produx mutui coitus*, eleganter dicitur.

Ova etiam rutæ & fragili miscentur anetho,
Quæ diluta simul vino atque exhausta medentur.]

Non

Non, ut libri degeneres habent, hic versus est legendus:

Ova etiam tuto fragili miscentur anetho.

Plinius optimam lectionem demonstrat libro XXIX. capite III. *Tota ova adjuvant partum cum ruta & anetho & cumino pota ex vino.*

PROFLUVIO CUJUSQUE SANGUINIS, ET MATRICI SUBVENIENDÆ.

LEmma scripti libri: PROLUVIO. immo *proluvium*, profluvium. Apulejus: *unguento fragrantissimo proluvium veneris excitaram.* Laberius: *Quæ quidem me à matronali pudore proluvium meretricis progredi coëgit.* Glossæ medicæ *proluvium*, αἱμοῤῥαγίαν exponunt. Propriè autem per τὴν αἱμοῤῥαγίαν, sanguinis profluvium sive proluvium è naribus, τὴν ἐν μυκτῆρσιν αἱμοῤῥαγίαν, medici interpretantur. Vide Galenum comment. I. τῶν ἐπιδημιῶν. cum confertim sanguis effunditur, quod ἀθρόως ὁρμᾶν idem Galenus ἐν ταῖς γλώσσαις explicavit.

Quum fluit, attritus cimex conducit odore] Dioscorides περὶ κόρεων, vulvarum exanimationes olfactu revocare tradit. Adeo nihil parens illa rerum omnium sine ingentibus caussis genuit.

Lana olea madefit, sed nondum lauta, rosato:] Intelligit τὰ ἔρια οἰσυπηρά: Latini *lanam succidam* vocarunt. hoc eodem capite Serenus: *Succida lana malos remoratur subdita cursus.* Dioscorides: ἔρια οἰσυπηρὰ ἄριστα τὰ ἁπαλά. & deinde commendat δεκτικὰ τῶν ἐμβρεγμάτων καὶ μαλακτικὰ διὰ τὸν οἴσυπον. Marcellus cap. X. *Lana succida ex ove fœmina decerpta, atque intorta,*

madefactaque rosa liquida, & naribus indita, sanguinis abundantiam reprimit. Pleniùs eodem capite: *Lana succida conjicitur in nares cum oleo rosaceo, & auriculæ de lanâ succidâ obturantur, & ita sanguis profluens continetur.* Plinius de medicina lanarum: *Sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo, & alio modo indita auribus obturatis spissius.* id est *densius*, quomodo altero Sereni versu legendum:

Hæc datur in nares, vel claudit densius aures.

ad oram quorundam librorum ineptè legitur: *vel claudet densior auras*, ut etiam à Stephano typis notatum. Priore tamen versu variat avitus, quod nescio an ulli curatorum sit observatum.

Lana oleo mandefit, sed nondum lauta, drosato.

drosato pro *rosato*, ex idiotismo eorum temporum. Myrepsus & inferiores medicorum sæpiusculè meminerunt σαχάρατος καὶ δροσάτου τῶν ῥόδων. item δροσάτου τῶν ἴων. Immo δρόσατον καὶ ὑδρόσατον, *rosatum.* nihil verius, at nihil immutandum.

Contritis prodest cochleis perducere frontem] *obducere frontem*, habet margo Gryphiani libri. *perducere* & *obducere* paria sunt, ut alibi notamus. Dioscorides de cochleis: τὰς ἐκ μυκτήρων αἱμοῤῥαγίας σὺν ὄξει λειανθέντες ἐπέχουσι. Plinius XXX. cap. XIII. *è naribus fluentem sistunt cochleæ contritæ fronti illitæ.* Marcellus Emp. cap. X. *cochleæ tritæ cum aceto naribus inditæ, quosvis magnos fluores sanguinis compescunt.* & alibi: *cochleæ contritæ & fronti inlitæ similiter prosunt.*

Aut galli cerebro, vel sanguine tinge columbæ.] *Galli cerebrum*, gallinæ, ἀλεκτορίδος ἐγκέφαλος. De eo Dioscorides: τὰς ἐκ μήνιγγος αἱμοῤῥαγίας ἐπέχει. Plinius tamen *gallinacei cerebellum*, ibidem commendat. Idem Dioscorides de sanguine columbæ: ἰδίως τὸ τῆς περιστερᾶς (αἷμα) αἱμοῤῥαγίας τὰς ἐκ μηνίγγων ἐπέχει. Nunc verba Plinii sunt adjungenda: Sistit *gallinacei cerebellum*,

bellum, vel ſanguinis profluvia ex cerebro. Item columbinus ſanguis ob id ſervatus concretuſque. Vide etiam Marcellum, cap. X.

Præterea Phariis caput emetire papyris.

Detrahe quod ſupereſt, aliò genitalia necte.] Horum verſuum interpretationem accuratam à Plinio habes libro XXVIII. capite VI. Prodeſt *extremitates corporis vel aurium perſtringi contra horrores corporis, ſanguinemve narium immodicum: lino vel papyro principia genitalium: femur medium ad cohibenda urinæ profluvia.* Item Marcello Empirico, capite X. *Linum vel papyrus ligata ſummitati veretri virilis, ſanguinem profluentem naribus mirè reprimit.*

Fœmineas prodeſt illinc vincire mamillas.] Fortè legendum, *vinclis vincire mamillas*, quod jam indubiè verum eſſe, me docet Marcellus cap. X. *Si fœminæ ſanguis ex naribus nimiè defluat, mammillæ ejus vinciantur corrigio caprino.* Hic igitur verſus à ſequente eſt diſcernendus, ſecus ac in omnibus libris comparuit.

Menſtruus immenſo ſi profluit impete ſanguis.] melior etiam in hoc verſu liber avitus, qui legit:

Menſtruus injuſto ſi profluit impete ſanguis.

Pronum ex eo corrigere:

Menſtruus injuſto ſi profluit impete ſanguis.

injuſto, id eſt, impete præter naturam: ſic melius feminarum abundantiam exponit. nam & *juſta*, ſunt menſtrua fœminarum. Plinius Valerianus libro IV. cap. I. de amygdalis: *ſomnum faciunt, urinam movent, fœminarum juſta præcipitant.* Columella libro X.

Fœmina quæ juſtis tum primum operata (juventæ
Legibus) obſcœno manat pudibunda cruore.
Succida lana malos remoratur ſubdita curſus,
Mortua quinetiam producit corpora partu.] *Curſus* eleganter de fluxu femineo. Gloſſæ: καταμήνιον αἷμα, *curſus*

cursus menstruus, menses. Plinius libro XXIX. capite secundo: *Succida lana imposita subditaque mortuos partus evocat. Sistit etiam profluvia earum.*

Subereus cortex calidis potatur in undis] Plinius de subere: *suberis cortex tritus, ex aqua calida potus, sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit.* Meminit ejus suberis Galenus comment. IV. in VI. Epidem. Hippocrat. super aphorism. VIII. ubi perperam τυφλοῖς πωμασθέντα, pro φελλοῖς πωμασθέντα, legitur. *Subernus* etiam, pro *subereus* in nonnullis Sereni libris editur.

Aut si puniceos fundit vesica liquores] Non: *At si puniceos.* & statim: *rutilum purgare liquorem.*

Relliquias partus dictami detrahit herba] Malè non solum partus reliquias, sed etiam ipsum Serenum cum iis à quibus sua hausit, librarii detraxêre: qui legebant,

Relliquias partus eadem tibi detrahit herba.

Plinius de dictamo: *præcipua dictamo vis est. menses ciet, partus emortuos vel transversos ejicit. bibitur ex aqua foliorum obolo, adeò adhæc efficax, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. nec potu tantum, sed & illitu & suffitu valet.* περὶ δικτάμνου Dioscorides: ποιεῖ δὲ πάντα ὅσα καὶ ἡ ἥμερος γλήχων, ἐνεργέστερον δὲ πολλῷ. οὐ μόνον γὰρ πινομένη ἀλλὰ καὶ προστιθεμένη καὶ ὑποθυμιωμένη, τὰ τεθνηκότα ἔμβρυα ἐκτινάσσει.

Fst qui frusta molæ percussu decutit uno] Remedium physicum de lapide molari uno ictu percutiendo & frustis collo appendendis. Quarè falsissimi sunt, qui cum Pictorio *molam*, μυλόσαρκα, carnem inanimatam & informem, ut sanguini sistendo sanguinem, ita fœminino consumendam hariolantur. quod est ineptissimum ex tota sententia, & ultimo versu:

Ut lapis ille viæ solitos jam destitit orbes.

Hæc simul incantans sisti debere cruorem] Eodem carmi-

Digitized by Google

carmine ſerpentes inebriari, Plinius habet libro XXVIII.

INTERNECANDIS, QUÆ OCULOS IMPEDIUNT.

ALii libri: INTERSECANDIS. Nihil immutandum.

Mobilis hirſutas horret laſcivia ſetas] Sic liber avitus & optimi veterum exhibuerunt. *mobilis laſcivia oculorum*, ut *oculorum orbiculi mobiles*, apud Arnobium: Vulgò malè degeneres ac viliores notæ:

Mollis & hirſutas horret laſcivia ſetas.

vel: *Nobilis hirſutas horret laſcivia ſetas.*

quod miror à Stephano typis recuſum. Lepidè autem pilos hirſutos, comparat hirſutis ſetis. Plautus alibi: *ita quaſi ſetis labra mihi compungit barba.* ubi *ſentis* etiam exhiberi memini. Sequens Sereni verſus non malè, vel invitis libris, legeretur: *Et gaudet rapto nudari horrore pilorum.* Eam lectionem prior verſus ſatis apertè probat. Malè *rore* legit Pictorius.

Namque oculos infeſta pilorum tela laceſſunt,

Quodque illis dederat vallum natura tuendis.] Duo morbi, vel potius dedecora pilis palpebrarum accidere ſolent; aut enim concidunt, aut præter naturalem ordinem augentur. Illud vitium Græcis *μαδάρωσις*, *μίλφωσις* & *μύδωσις* appellatur: hoc, quod Serenus intelligit, *δυστιχίασις*. Galenus *τριχιῶντα βλέφαρα* vocat, Avicenna *inverſos* vel *additos pilos*. Celſus de pilis palpebrarum, oculum irritantibus: *Pili verò qui in palpebris ſunt, duabus de cauſis oculum irritare conſuerunt. Nam modo palpebræ ſuperioris ſumma cutis relaxatur, & procidit*: (palpebræ ſuperioris ſummam cutem vocat, quam alii ἐπισκύνιον; quod Nicandri

Scholiastes interpretatur τὸ ἐπάνω τῶν ὀφρύων, ad simplex Poëtæ nomen σκυνίον) *quo fit, ut ejus pili ad ipsum oculum convertantur, quia non simul chartilago quoque se remisit. Modò sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculum tendit.* eum Serenus priore versu notat, altero ineptè etiam medicorum filiis acceptus, qui vallum de confinio luminum exponunt: quod omninò absurdum & ἀπροσδιόνυσον. Petronius, quid luminum confinio sit intelligendum, aliter docebit: *supercilia usque ad malarum scripturam currentia, & rursus confinio luminum penè permixta.* τὸ μεσόφρυον Græci vocant. Aristænetus: τὸ δὲ μεσόφρυον ἐμμέτρως τὰς ὀφρῦς διορίζει. Anacreon:

τὸ μεσόφρυον δὲ μή μοι
διακόπτε, μήτε μίσγε.

Vallum autem, est oculorum tegumentum; ita etiam Cicero appellat libro secundo de natura deorum. Vetus Poëta Græcus non illepidè ὀμματόφυλλον. Verba Ciceronis, quæ falso apud Nonium Marcellum ex secundo de Oratore laudantur: *munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno conniventibus quum oculis ad cernendum non egeremus, ut tanquam involuti quiescerent.* hæc unicè Sereni versum illustrant, &, quid *vallum* nuncupaverit, exponunt. Eodem modo Plato τὴν τῶν βλεφάρων φύσιν τῆς ὄψεως σωτηρίαν dixit. Et Galenus palpebrarum officia describens hisce verbis: τούτων δὲ τὰ μὲν σκέποντα τὴν ἔνδον, τῶν χιτώνων σύνταξιν βλέφαρα καλεῖται, τὸ μὲν ἄνω, τὸ δὲ κάτω, συμβάλλοντα ἀλλήλοις πυκνῶς, καὶ ἀκροχυγῶς εἰς ἀνάληψιν τῆς ὄψεως, καὶ εἰς τὸ ἀπερύκειν τὰ πληκτικῶς προσπίπτοντα τοῖς ὀφθαλμοῖς. ἐπ' ἀκριβὲς δὲ ὥσπερ ἐν τοῖς ὕπνοις εἰς ἀποστροφὴν τῆς ὁρατικῆς δυνάμεως, πρὸς τὸ καθησυχάσαι τὸν ἄνθρωπον. Lactantius de opificio Dei: *nam & ipsæ palpebræ, quibus mobilitas inest, palpitatio vocabulum tribuit; pilis in*

in ordine ſtantibus vallatæ, ſeptum oculis decentiſſimum præbent.

Inde inimica ſeges proprios deſævit in orbes] *Tela pilorum*, & *ſeges telorum*: habet à Virgilio libro tertio Æn.

—— *hic confixum ferrea texit Telorum ſeges.*

Proprios deſævit in orbes, κύκλους ὀμμάτων. Sophocles:

ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων.

oculorum orbiculos mobiles, ex Arnobio notavimus. Solinus cap. XXX. *nunquam cohibet aciem orbium*, γλήνην τῶν κύκλων. Lactantius ubi ſuprà, capite VIII. *Ergo ineffabilis divinæ providentiæ virtus fecit duos ſimillimos orbes; eoſque ita devinxit, ut non in totum converti, ſed moveri tamen ac flecti cum modo poſſent.* vide ſequentia: Lucretius libro III.

Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem.

Arnobius libro V.

Tum dea defigens auguſti luminis orbes.

orbes igitur propriè oculorum: & quia ſolem Jovis oculum appellabant, κύκλον ἡλίου venuſtè dixit Æſchylus Prometheo:

Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ.

De toto oculorum circulo illi autores *orbem* uſurparunt. ἶρεως tamen ſtrictius Græci vocant *oculorum orbem*. Rufus: τὸ δὲ συνεχὲς τῇ ὄψει μέχρι τοῦ λευκοῦ ἶριν, τοῦτο δὲ ὡς ἔχει χρώματος μέλαν, ἢ πύῤῥον, ἢ γλαυκὸν, ἢ χαροπὸν ὀνομάζουσι. Plinius de oculis: *aliis atri, aliis ravi, aliis ravci coloris orbibus circumdatis.*

Quem dat avis, tremulis ſimulat quæ pellibus alas, veſpertilio enim pinnatis alis volat & pelliceis. Plinius: *veſpertilionum ſanguis pſilothri vim habet: ſed malis puerorum illitus non ſatis proficit, niſi erucæ vel cicutæ ſemen poſtea inducatur: ſic enim aut in totum tolluntur pili, aut non excedunt lanuginem.*

Atque in perpetuum rediviva obcludere tela.] *obducere tela*,

Digitized by Google

tela, margo libri Gryphiani. quod ob alterum versum redundat.

Corporibus vulsis saniem perducito ranæ,

Sed quæ parva situ est & rauco garrula questu.] Quibusdam in libris exhibetur:

Sed quæ parva situ & clamoso garrula questu.

Libro avito: *& clamose gerina questu.* quod suppositititium est & ineptum. Scio γερίνες & γυρίνες Græcis ranas vocari è nubibus & cœlo lapsas. Cicero I. de Divinatione: *Sed inest gerinis & ranunculis* (*germinis* vulgò legitur) *quædam natura significans aliquid.* Talem medici pro psilothro non commendant. Plinius libro XXXII. capite X. qui Sereno in omnibus dux & author: *ranæ parvæ* (*quam in oculorum curatione descripsimus*) *sanies efficacissimè psilothrum est, si recens illinatur: & ipsa arefacta ac tusa, mox decocta tribus heminis ad tertias, vel in oleo decocta æreis vasis. Saniem* vocat, quam *sanguinem* capite VII. ubi de oculorum vitiis: *lepus marinus ipse quidem venenatus est, sed cinis ejus in palpebris pilos inutiles evulsos cohibet.* Statim: *ranæ, quas diopetes & calamitas vocant, sanguis earum cum lachrymâ vitis, si evulso pilo palpebris illinatur.* καλαμῖται vocantur, quæ χλωροὶ apud Dioscoridem, virides inter calamos aquaticos morantes. περὶ βατράχων ι' τὸ δὲ τῶν χλωρῶν βατράχων τὸ αἷμα ἐπιστάζόμενον, κωλύει τὰς ἐκτιλθείσας ἀπὸ τῶν βλεφάρων τρίχας φύεσθαι. Marcellus: *ranunculum viridem comprehensum acu cuprea pungito, & sanguine ejus excepto palpebras de quibus pilos tuleris, subinde continge, nunquam renascentur.* Videndus & Ægineta libro III. cap. XXII. Sed Aëtius vespertilionum & ranarum sanguine pilos exstirpari posse, falsum contendit: idque experientia explorasse. Vide cap. LXXX. Tetr. I. Serm. II.

Nec non quæ stagnis cessantibus hæsit hirudo

Sumitur, & vivens Samiâ torretur in olla.] Flos veterum librorum:

Nec

Digitized by Google

Nec non è stagnis cessantibus exos hirudo,
quomodo Pitheanus etiam, ut ille libro II. cap. XIX. Adver. annotat. Plinius ubi suprà, capite X. *Sanguisugæ quoque tostæ in vase fictili, & ex aceto illitæ, eundem contra pilos habent effectum.* Marcellus: *sanguisugarum in olla combustarum tritus delicatissimè cinis, & vulsis pilis palpebrarum impositus vel inspersus, renasci eos non sinit. Samiam ollam* vocat non quidem τὴν σαμίαν, sed in genere *figulinam, vas fictile* Plinius. Tertullianus de curiositate superstitiosâ à Numâ concepta, capite XXV. apologet. adv. gentes: *temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis.*

Hæc acidis jungit permista liquoribus artus,] *ungit* in ora libri sui Stephanus. ultimo versu libri magis variant: *Percrescere* Gryphianus, ad ejus oram *procrescere*: *succrescere* Stephani ὠρεῖον. Avitus:

Avulsamque vetat rursus crebrescere sylvam.

Serenus suprà: *Et quicquid crebri defendit sylva capilli.*

OMNIBUS OBSCOENIS MEDENDIS.

Dicendum & quæ sit membris medicina pudendis.] Etiam nobis ea consilia præscribenda sunt, quæ ad obscœnas partes pertinent, quarum apud Græcos vocabula & tolerabilius se habent, & accepta jam in usu sunt, cum omni ferè medicorum volumine atque sermone jactentur. Celsus: *apud nos fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliquâ verecundius loquentium accommodata sunt: ut difficilis hæc explanatio sit simul & pudorem & artis præcepta servantibus. Neque tamen ea res à scribendo deterrere me debuit. Primam, ut omnia*

Digitized by Google

quæ ſalutaria accepi, comprehenderem, dein quia in vulgus eorum curatio etiam præcipuè, cognoſcenda eſt, quæ invitiſſimus quiſque alteri oſtendit.

Languidus antiquo purgatur penis Jaccho,] Iſtum verſum alii medicorum legunt:

Languidus antiquo curatur penis Jaccho.

at nihil videtur immutandum. Quod de *antiquo vino*; id alii de parco. Valerius Flaccus III. Argon.

lapſas Reſtituunt vires & parco corpora Baccho.

Petronius Satyrico: *hauſi parcius merum. Languidus*, eſt affectu remiſſus, cum a luctâ nervos paralyſis occupavit. In obſcœnis *lentus*, vel *angue lentior*, etiam *languidus* appellatur. Apulejus in Anechom. *languidus thyrſus*, Catullus:

Languidior tenera cui pendens ſicula beta
Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam.

languidior beta, unde *betizari* apud Suetonium Augusto, ἀντὶ τοῦ ἀτονεῖσθαι.

Mane novo myrti frondes commandere prodeſt.
Cui dolet, atque illas in vulnus deſpuat ipſum.] Hæc lectio ſatis probata ac ſana eſt; nec, cur aliam reponeremus, aliarum editionum magiſtelli judicarent. Immo, ſi cum iiſdem fatear, non eſt quid aliud reponendum. Ipſe Marcellus hanc eandem ſatis adſtruit capite XXXIII. *Folia myrti jejunus commanduca, & in ulcera veretri expue, ſtatim proderit.* Habent tamen alii librorum alterum verſum excuſum:

Cui dolet, atque illas in vulnus deſpuere ipſum.

quod ejuſdem medicinæ cum recepta. Scriptum in libro avito:

Mane novo myrtus frondes commandere prodeſt
Cui dolet, atque illas in vulnus ter ſpuere ipſum.

myrtus pro *myrti*, non menda ſed ἀρχαϊσμὸς in illo libro. Paria Scaliger notavit ad illud Catulli:

——— *progignunt flumina myrtos.*

Sed

Digitized by Google

Sed cum Sereno, ut Plinio & Marcello, solenne sit, veterum superstitionem & artem veneficam medicinæ loco commendare; satis etiam antiqua scriptura, quæ nescio, an aliis comparuerit, hic pro rationali medicina vendi posset & exponi:

Cui dolet, atque illas in vulnus ter spuere ipsum.

Plinius libro XXVIII. capite IV. *Veniam à Deis spei alicujus audacioris petimus in sinum spuendo. Etiam eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicinâ mos est.* Autor libri de incantatione: *quidam dicunt mulierem ranam accipientem & os ejus aperientem, terque ibi inspuentem, non concipere illo anno.* Etiam de terno in vulnera despuendi more, memoria veterum Poëtarum. Theocritus εἰδ. ζ. χαρίτες ἢ περαίη:

Ἅπς ἐπιφθύσδοισα τὰ μὴ, καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.

ubi Scholiastes: εἰώθασι γὰρ αἱ γραῖαι ὅταν ἐπᾴδωσιν ἐπιπτύειν. Ingens veterum in hac re superstitio: nam & cædes dolo malo perpetratæ exspuendo expiabantur, & fascina arcebantur. Probus ad illud Juvenalis: *Conspuiturque sinus. Propter fascinum*, inquit, *verborum ter sibi in sinum spuunt, & videntur fascinum arcere.* Valerius Cato in Diris: *ter in gremium meum, inquit, despue.* Theocritus:

ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

Fæce etiam vini genitalia lauta levantur.] Plinius de fece vini: *medetur illita & testibus & genitalibus.* Quod in aliis libris: *genitalia lauta lavantur,* haud nimis ineptum est.

Et tumidos testes Nereia lympha coërcet.] Plinius de aqua marinâ: *Testium quidem tumori fovendo non aliud præferunt.* Marcellus: *testiculi tumentes aqua marina rationabiliter foventur.*

Vel bulbi ex mulso vel cera immista cupresso] Idem Marcellus: *bulbi ex mulso triti, atque inliti dolentibus testiculis medentur.* Plinius lib. XX. cap. IX. *Per se triti*

(bulbi)

Digitized by Google

(bulbi) nervorum contractionem medentur. Ibidem: *Ad sudorem tusi illinuntur nervis. utiles ideo & paralyticis dantur juxta in pedibus.* Bulbi numerabantur & inter ὑποβινητιῶντα βρώματα: Inde jocus apud Aristophanem concionatricibus, καταφαγὼν βολβῶν χύτραν. Apicius: *aqua decoquant bulbos, qui Veneris usum quærunt.* Heraclides Tarentinus: βολβὸς, καὶ κοχλίας, καὶ ὠὸν, καὶ τὰ ὅμοια, δοκεῖ σπέρματος εἶναι ποιητικὰ, οὐ διὰ τὸ πολύτροφα εἶναι, ἀλλὰ διὰ τὸ ὁμοιώδεις ἔχειν τὰς πρώτας φύσεις.

Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.] Non, ut viliores editi: *Aut faba cum tepuit.*

Ramicis immensum fertur cohibere tumorem

Far madidum lympha & feralis fronde cupressi.] Dioscorides περὶ κυπαρίσσου. τὰ σφαιρία στέλλει ἐντεροκήλας καταπλασθέντα. καὶ τὰ φύλλα δὲ αὐτὰ ποιεῖ. Quæ tamen medicè distincta sunt. *ferali fronde cupressi*: Gryphius exhibuit. Ovidius:

——— *ferali cincta cupressu.*

Horat. *cupressus funebris.* Scholiastes: *Inferis consecratas & funeri aptas, quia funeribus adhibebantur.*

Unde etiam potu frons hæc memoratur amica.] Libri collati & impressi: *Unde etiam ex fotu frons hæc memoratur amica.*

Scriptus avitus: *Unda etiam tauto, frons hæc memoratur amica.*

quæ corruptissima sunt. In ora libri: *Unde etiam tanto.* Quod ferri posset ex ingeniosa conjectura, sed inepto sensu. mihi verò quid altius videtur hic delitescere, quàm ut illo *tanto* tantus emendator abeam. Locus si divinando sanari potest, ita fortè corrigendus: *Unde etiam tauro frons hæc memoratur amica.* *taurus* est illa sutura, quæ testes interjacet. Glossæ medicæ: ταῦρος, *sutura testium.* Apud medicos posteriores enumerantur unguenta tentiginem moventia, puden-

pudendo & tauro inuncta. Myrepsus aliqua antidoto: ἀλειφόμενον τὸ αἰδοῖον, καὶ ὁ ὑπότησυρος. Quæ verba indubiè mendosa sunt. Scribo: ἀλειφόμενον τοῦ αἰδοίῳ καὶ ὑποζῶρου. Ταύρου etiam meminit Auctor Introductionis.

Proderit induci cochleas cum melle minutas.] Plinius XXX. cap. VIII. *Inguinum tumorem cochleæ minutæ cum melle illitæ leniunt.* Marcellus: *inguinum tumorem cochleæ minutæ tritæ cum melle inlitæ sedant. Tumorem inguinum*, Græci βουβῶνας vocant. Glossæ medicæ: βουβὼν, *inguen*, *tumor inguinis*. eum tumorem Serenus intelligit.

Obscœnos si pone locos nova vulnera carpent,

Horrentum mansa curantur fronde ruborum.] Plinius libro XXIV. cap. XIII. de moris ruborum: *vim habent siccandi adstringendique, gingivis, tonsillis, genitalibus accommodatissimi.* Idem capite sequenti de cynosbato: *eodem succo foventur sedis atque genitalium ulcera. Locos* autem Serenus ipsa naturalia vocat. vetus glossarium: *loci muliebres*, ὑστέρα κόλπος μήτρας. Cato de re rustica: *& si mulier eo lotio locos fovebit, nunquam ii virosi fient.* Varro lib. de lingua Latina: *Sic loci muliebres, ubi nascendi initia existunt.* pro ipso utero posuit, ut etiam Lucretius: *Incitata tument loca semine* ——— Tertullianus de animâ cap. XXVI. *ecce duplex fœtus in matris locis tumultuatur; & nusquam adhuc populi duo.* Alii cum Sereno ponunt pro parte naturali. Murredius apud Senecam libro I. Controv. II. *novimus*, inquit, *istam maritorum abstinentiam, qui etiam si primam virginibus timidis remisêre noctem, vicinis tamen locis ludunt.* Cælius Aurelianus acut. passion. libro III. *indecenter ipsa in loca manus mittunt, prurientibus verendis.* Sic apud Dioscoridem rectissimè τοὺς τόπους accepêre in iis verbis: μαλάσσειν τοὺς τόπους καὶ ἀναστομοῦν. In obscœno carmine: *Dum*

Dum timet alterius vulnus inepta loci.

Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit antè.] Nam *ricinus* proprie canum est. Glossæ Cyrilli, κρότων, φθεὶρ, *ricinus*. Ita Suidas. κροτώνων κυνείων φθειῶν. Aristoteles κυνοῤῥαιστὴν vocat. Vide Scaligerum exerc. CXCIV. Ideo differentiam notans, addidit: *quem bos gestaverit ante.* vel: ut *ricinum* discerneret ab arbore ricino: Dioscorides libro IV. cap. CLXIV. Κίκι ἢ κρότων, οἱ δὲ σήσαμον ἄγριον, οἱ δὲ σέσελι κύπριον, οἱ δὲ κρότωνα ὀνόμασται κρότων, διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῶον ἐμφέρειαν τοῦ σπέρματος.

ISCHIÆ ET ARTICULARI MORBO.

SCHIÆ scriptum in avito lemmate: Quam scripturam & alii veterum librorum confirmant. SCHIÆ pro ISCHIÆ, ut σχίον pro ἰσχίον in veteri Glossario. unde *schiatici* pro *ischiatici*, & *schias* pro *ischias* apud Martianum Capellam. Glossæ, *schiatica*, ἰσχίας. Est autem ἀρθρῖτις, coxendicis. os enim, quod femoris caput excipit, ἰσχίον, vel ἰσχίου ὀστοῦν. Scholiastes Homeri: ἰσχίον δὲ ὑπὸ τῶν ὀσφύων ὀστέον, εἰς ὃ ἐγκέκλεισται τὸ ἱερὸν ὀστοῦν. Suidas: ἰσχίον, τὸ κοῖλον τοῦ γλουτοῦ, ἐν ᾧ ἡ κοτύλη στρέφεται. Julius Pollux: ἰσχία μὲν ἐστὶν αἱ ἑκατέρωθεν μετὰ τὴν ὀσφὺν σαρκώδεις περιβολαί

Sæpius occultus victa coxendice morbus

Perfurit, & gressus diro languore moratur.] In ischiade enim, ob pituitosum humorem vincula laxantem & emollientem, sæpe luxatio & claudicatio suboritur.

Populus alba dabit medicos de cortice potus.] Dioscorides: Αἰγείρου τοῦ δένδρου ὁ φλοιὸς ποθεὶς ὅσον οὐγγία μία πλῆθος ἰσχιάδας ὠφελεῖ καὶ στραγγουρίας. Plinius ad verbum de alba populo: *cortex potus ischiadicis & stranguriæ*

Digitized by Google

guriæ prodest. Perperam igitur viliores editi: *Populus alta dabit.* Quod & alibi notamus.

Nec non & teneræ gracili de fronde genistæ
Arreptos caules, acidoque liquore madentes
Sumere conveniet.] Dioscorides περὶ σπαρτίου. καὶ αὐτῶν δὲ τῶν ῥάβδων ἐν ὕδατι βραχέντων, εἶτα κοπέντων καὶ χυλισθέντων, ἰσχιαδικῶν καὶ συναγχικῶν ἐστι βοήθημα, ὅσον κύαθος εἷς πινόμενος νῆστιν. Plinius de genista sive sparto: *ramis cum fronde in aceto maceratis pluribus diebus & tusis, succum dant ischiadicis utilem, cyathi unius potu.* Marcellus capite XXV. *Genistæ rami plurimis diebus in aceto macerantur, deinde tunduntur & exprimuntur: ex eo succo cyathus unus ad diem ischiadico, quo usque sanetur, offertur.* Idem de rubia: *rubiam, quâ pelles inficiuntur, quotidie bibere ischiadicis utile est, & in balneo ferventi lavari.* rubia Græcis ἐρυθρόδανον. ejus radice rubrâ pelles & lanæ tingebantur. Dioscorides: ἐρυθρόδανον, ἢ ἐρευθόδανον· ἔνιοι δὲ τεύθρειον καλοῦσι, ῥίζα δέ ἐστιν ἐρυθρὰ βαφική. Idem de ejus medicina: ὅθεν ἰκτερικοῖς μετὰ μελικράτου πινομένη βοηθεῖ, ἰσχιαδικοῖς τε καὶ παραλελυμένοις. Plinius libro XXIV. capite XI. *erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos rubiam, quâ tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur; in medicinâ urinam ciet, morbum regium sanat ex aquâ mulsâ, & lichenas ex aceto illita: & ischiadicos & paralyticos, ita ut bibentes laventur quotidie.* Glossæ, ἐρυθρόδανον; *robbia*: scribo, *rubia*. Item: ἐρυθρόδανον, *garancia, rubia. garanciam* etiamnum Galli vocant.

Aut in aminæo cochleas haurire Lyæo.] Sic verissimè scriptum. Quare libri, qui legendum exhibent:

Aut in Bithyno cochleas haurire Lyæo.

vel: *Aut in irino cochleas haurire Lyæo*, manifestè mendosi sunt. utrumque legitur in orâ libri Gryhiani, qui prodiit anno CIↃ IↃ XLII. Plinius libro XXX. cap. VIII. *Ischiadicis cochleas crudas tritas cum*

vino

vino aminæo & pipere, potu prodesse dicunt. Marcellus ubi suprà: *Ischiadicis cochleæ crudæ tritæ in vino Aminæo, ex pipere potæ mirè prosunt. aminæo* etiam retinet avitus.

Hæserit, ex ficu betas ac melle ligabis.] Marcellus cap. XXXIV. *Beta cum melle & cum ficu arida contusa atque imposita medetur articulis.*

Sumere curabis: nimio sed parcito vino.] Celsus de articulorum doloribus: *Quidam, quum toto anno à vino, mulso, venere sibi temperassent; securitatem totius vitæ consecuti sunt.* Unde Arthritidem antiqui ex Baccho & Venere genitam dixerunt. Vinum enim & immodica venus nervos maximè debilitant. unde & arthriticis vinum dandum, plerique medicorum negant: quod de morbi principio, non declinatione intelligendum.

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.] Utrumque prioris versus membrum ferè mutuavit ab Horatio: cujus exemplo Ennium *patrem* vocat: quod eam vocem mirè Ennius amaret, ut Heinsius ad Horatium observavit. Erat autem vinosus, qui nunquam nisi potus ad arma prosiluit dicenda: ex qua intemperantia morbum articularem contraxit, eoque periit. *Iniqua siccare pocula*, ut apud eundem Horatium, libro II. Sat. VI.

Siccat inæquales calices conviva, solutus
Legibus insanis.

FURUNCULO MEDENDO

RESinam misces & saxis ordea fracta] Infrà:
Simplice resina miscebimus hordea tusa.

ubi *tusa*, quæ *fracta*, τὰ ἄλευρα κριθῆς Dioscoridi. libri secundi capite CVIII. συμπιάσει δὲ καὶ τὰς σκλη-

ρίας

μιᾶς μετὰ πίσσης καὶ ῥητίνης καὶ πρεσβυτέρης κόπρου.

Vis & hyosciamum ceræ sevoque jugatum
Nectere? non minus hæc poterit medicina juvare.]
Ora libri Gryphiani:
Vis & hyosciami semen sevumque jugatum.

Auribus aut pecudum molles expromito sordes,] Sordes aurium in medicinis adhibebantur. Ita Plinius humano morsui sordes ex auribus mederi scribit. Sed pauci medicorum earundem meminêre, quod difficilius colligerentur & exiguæ pararentur. Glossæ: κυψελίς, *aurium sordes*. Inde κυψελόβυστα nuncupantur, quæ sordium altitudine adobruta latent. Hippocrates & Galenus ὤτων ῥύπον appellant. Glossæ medicæ: κυψελίς, ῥύπος ὤτων, Item κυψέλη: nam & κυψέλη propriè sordes aurium, ut λήμη oculorum. Glossæ: γλάμα, *lippitudo, sordes oculorum*. γλάμα Doricè pro γλήμη, unde λήμη. Etiam *pedora* vocantur. Balbus catholico: *pedora, pedum vel aurium sordes*. Ajunt etiam has sordes conferre ad παρωνυχίαν, quam *reduviam* vocant Latini, vel *redivium*: nam *redivire* Festo est resolvere, quod in eâ cutis resolvatur ab ungue. Glossarium: παρωνυχία, *redubiæ*. Paulus Ægineta libro III. ἡ παρωνυχία ἀπόστημά τι ἐστὶ παρὰ τὴν ῥίζαν τοῦ ὄνυχος συνιστάμενον.

CARBONI MEDENDO.

CARBONI TOLLENDO, scriptæ membranæ avitæ: quod etiam in aliis exhiberi, palàm testatur ora libri Gryphiani. Est autem *carbo*, carbunculus. ἄνθραξ de morbo & gemma Græcis, ut Latinis *carbunculus*. Omnes calidi tumores, & dolorosi, vocantur inflammationes; sed pro materiâ differunt. Ex bono & moderato sanguine ad aliquam corporis partem acervatim influente, & ob copiam impacto, pri-

privatim *inflammatio* fit, & appellatur: ex flavâ bile, ἕρπης: ex ſanguine & flava bile ſimul influente, ἐρυσίπελας: ex calido & craſſo ſanguine, ἄνθραξ ſive *carbunculus*. Vide Æginetam libro IV. cap. XXV. Is interius corrupta corporis parte naſcitur; & ſi circa ſtomachum fauceſque incidit, ſubito ſpiritum ſæpe elidit. Hoc duobus verſibus ad hunc modum exponendis Serenus eſt complexus.

Tertia namque Titi ſimul & centeſima Livi Charta docet] Centeſimum tertium librum indicat. Notavit ὁ πάνυ Joſephus Scaliger ad illud Catulli:

Omne ævum tribus explicare chartis.

Charta docet, ferro talem candente dolorem
Exectum, aut poto raporum ſemine pulſum.] Mendosè veteres: ——— *& paſſo raporum ſemine pulſum.* τὸ σπέρμα γογγύλης πεφρυγμένον, ad id Græci commendant. Nihil immutandum. Quæ de *ſeptem diebus*, per quos vitam producere non poſſe hoc morbo infectum ſubjungit; eoſdem ad triduum contrahit Plinius libro XXVI. capite primo, de carbunculo loquens: *naſcitur in occultiſſimis corporum partibus, & plerunque ſub lingua, duritia rubens varicis modo, ſed nigricans capite, alias livida, corpus intendens, neque intumeſcens, ſine dolore, ſine pruritu, ſine alio quam ſomni indicio, quæ gravatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaque puſtulas parvas, rarius ferens ſtomachum, fauceſque cum invaſit, ocyſſimè exanimans.*

Dulcacidum laticem cum lini ſemine junge,] Vulgò ineptiſſimè lectum: *Dulcacidum laticemque cumini ſemine junges.* Quomodo Gryphianis typis exhibitum. Non cumini ſed lini ſemen omnem intus foriſque inflammationem diſcutit. Dioſcorides περὶ λίνου. λίνον γνώριμον, δύναμιν ἣ ἔχει τὸ σπέρμα τὴν αὐτὴν τῇ τήλει. διαφορεῖ καὶ μαλάσσει πᾶσαν φλεγμονὴν ἐντός τε καὶ ἐκτός, σὺν

μέλιτι

μέλιτι καὶ ἐλαίῳ καὶ ὕδατι ὀλίγῳ ἑψηθὲν, ἢ ἑφθῷ μέλιτι ἀναληφθὲν. Marcellus cap. XV. *lini semen & anethum cum sale & oleo & aceto decretum, bene contra faucium dolores gargarizabitur.* capite I. *ad ea quæ fervescunt in capite cum rubore, lini semen contusum & melle consparsum, imponendum est.* *dulcacidum* vocat, quod acidum simul, & quodammodo suave sit, ὀξύγλυκυ Glossario Cyrilli. ὀξύγλυκυ, *dulcacidum.*

Præterea triti reserant & operta lupini.] Sic omnino legendum, *triti reserant & operta lupini.* tritum lupinum, non θέρμον ἥμερον interpretor, sed ἄλευρον τοῦ θέρμου, lupini farinam: De eâ Dioscorides: χοιράδας μεταβάλλει ἐν ὄξει ἑψηθεὶς καὶ καταπλασθεὶς, καὶ ἄνθρακας περιῤῥήσσει. Plinius inverso ordine: lupini *sativi quoque rumpunt carbunculos impositi, panos & strumas minuunt, aut maturant.* Aliæ tamen editionum: *reserant adoperta lupini.* quod haud minus insanum. Sunt tamen inemendatæ, quæ perperam exhibuerunt: *tristes reserant & operta lupini.* quod defendi posset extra medicorum sententiam. *tristes lupini,* ut apud Poëtam primo Georgicorum:

Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini.

ad quem versum optimè *tristem,* amarum explicat Servius. Posset etiam *feralis* exponi, ut apud alios Poëtas. In mortuariis veterum cœnis lupini Manibus exhibebantur. Lucianus, ubi loquitur Menippus: θέρμους εἰ θέλεις καὶ τὸ ἑκάτης τὸ δεῖπνον. Inde præceptum Rhadamanthos: ΜΗ ΘΕΡΜΟΥΣ ΕΣΘΙΕΙΝ. Etiam lupini *tristes,* exponi possunt de vilissimo pauperum cibo. Charon apud Lucianum ad Menippum cynicum: δεῖξον τί ἐν τῇ πήρᾳ ἔχεις, Μέν. θέρμους εἰ θέλεις &c. Ea tamen non curantur à medicis poëtis & medicinæ curatoribus.

Fumantemque nivem papulis apponit acerbis.] *Fumantem nivem* vocat τὴν ἄσβεστον, calcem vivam, quæ

aqua injecta flagrat & fumat, ut vulgo notum. Corruptè legitur in avitâ & aliis membranis: *Fumantemque illam. nivem fumantem* de calce, ut *nivem ovi*, de testa, Marcellus. nix fumans de calce candidissima, cujus in medicinis usus. Dioscorides: Ἄσβεστος γίνεται οὕτω. τῶν θαλαττίων κηρύκων τὰ ὄστρακα λαβὼν, πυρὶ ἔγκρυψον, ἢ εἰς κλίβανον διάπυρον καθεὶς ἄφες ἐννυκτερεῦσαι. τῇ δὲ ἐχομένῃ ἐὰν μὲν λευκοτάτη γένηται ἀνελοῦ. εἰ δὲ μὴ, πάλιν καὶ ἄχρις ἂν ἱκανῶς λευκανθῇ. Prudentius etiam *niveum pulverem* vocat illam calcem Peristeph. carmine XIII. *Papulas* etiam benè dixit de carbunculis: Virgilius III. Georg.

> *Ardentes papulæ atque immundus olentia sudor*
> *Membra sequebatur.*

ubi *papulas ardentes*, carbunculos interpretatur Servius.

PANI, VOMICÆ, ET STRUMÆ DEPELLENDIS.

SUnt alii, quos dura movet natura, tumores] Scribo dictantibus avitis:

> *Sunt alii, quos dura movet natura, tumorum.*

alii tumorum, alii tumores, ut suprà notamus. Ineptè quidam hunc versum legunt:

> *Sunt ideo, quos dira movet natura, tumores.*

in quibusdam tamen *vomit*, pro *movet* eleganter exaratum: sic enim *vomicas* à *vomendo* describit, quamvis extra veterum auctoritatem principem syllabam producat, monente Vossio, qui tamen non *vomit*, sed *movet* eum scripsisse putat, ut est in codd. quibusdam manuscriptis. Simili trajectione Virgilius usus est in eo versu, de quo legendo multæ doctorum dividiæ:

> *Sunt aliæ, quas ipse vias sibi repperit usus.*

Vo-

Vomica qualis erit, vel eidem proxima quædam.] *Vomicæ proxima* ſunt ſtruma & panis. Panis eſt tumor non altus, latus, in quo quiddam puſtulæ ſimile eſt. Gloſſæ: *panus*, φύγεθλον. *panus* & *panis* pro eodem dicebant. *panis*, φῦμα *panicula*, φυμάτιον. Ægineta libro IV. cap. XXII. φύγεθλον, φλεγμονῶδες ἐρυσίπελας, ἢ ἐρυσιπελατώδης φλεγμονὴ τοῦ ἀδένος.

Simplice reſina miſcebimus hordea tuſa,

Et mulſos amnes, & purgamenta columbæ.] Marcellus: cap. XV. *ſtercus columbinum tritum cum farina hordeacea ex melle ſubactum, & calidè appoſitum, naſcentes parotidas comprimit.*

Proderit appoſitum, mollitque aperitque tumorem.] Reſcribe ex aliis libris:

Proderit appoſitu, mollitque aperitque tumorem.

mollis faba, *freſſa*, ἐρεγμός. Apertè Dioſcorides περὶ κυάμου. μετ' ἐρεγμοῦ χοιράδας καὶ φύματα διαλύει.

Aut de phaſganio radix decocta paluſtri] Liber avitus:

Aut de chaſcano radix decocta paluſtri.

immo χάσκανον & φάσγανον dicebant, unde poſtea φασγάνιον. φασγάνιον etiam Ægineta dixit, φάσγανον & χάσκανον Dioſcorides: περὶ ξανθίου. Ξάνθιον, οἱ δὲ φάσγανον, οἱ δὲ ἀντιθέσιον, οἱ δὲ χάσκανον, οἱ δὲ χοιραδόλεθρον, οἱ δὲ καὶ ζώτην ἀπαρίνην καλοῦσι. *phaſganium* ſemper Plinius appellat.

Gramen hyoſciami ceræ ſevoque vetuſto Concilia.] Ejus compoſitionem habes apud Marcellum cap. XXXII. *Mirabile hoc medicamentum paniculis ſanandis ſic, hyoſciami foliorum viridium P. II. reſinæ pityinæ P. II. ceræ P. II. adipis porcinæ ſine ſale P. II. galbani P. II. omnia hæc tunſa vel remiſſa in unum corpus rediges, & emplaſtri modo appones.* Igitur *conciliare* Sereno, quod *redigerę in unum corpus* Empirico, jungere & miſcere. Inde *concilium* & *conciliatus* apud

 Lucre-

Digitized by Google

Lucretium pro conjunctione & coactione, libro secundo.

Non fieri partum, nisi concilio ante coacto.
Nec quicquam commutari sine conciliata
Principium.

Exercere etiam corpus Medicina potens est.] γυμναστικὴ, quæ pars medicinæ sanitatem exercitatione conservans. indicat autem τὴν ἀποθεραπείαν.

IGNI SACRO DEMOVENDO.

REMOVENDO, in ora Stephani typis editur. Qui *ignem sacrum* hic ἱερὸν νόσον interpretantur, egregiè falluntur. ἱερὸν νόσον, Græci μεγάλην vocarunt, τὴν ἐπιληψίαν, cum ejus magnitudinem designare vellent. Eorum exemplo Latini veteres omnia horrenda, *sacra* dixerunt. Sic ἱερὸν ἴλιον, ἱερὸν ἰχθὺν & alia sexcenta. Quæ fortassè Servium ad illud Virgilii: *Contractos artus sacer ignis edebat.* transversum egerunt, ut *sacrum ignem*, ἱερὸν νόσον exponeret: quod ineptissimum. Latini *sacrum ignem* appellant, quem ἕρπητα Græci. Celsus de sacro igne & ejus curatione: *Sacer quoque ignis malis ulceribus annumerari debet. Ejus duæ species sunt.* ubi duabus illis speciebus comprehendit ἕρπητα *comedentem* (*formicam corrodentem* vocant Arabes, cujus Avicenna meminit capite de Pruna & Igne Persico) & φλυκταινώδη Græcorum. Glossæ medicæ, ἕρπης φλυκταινώδης, ἕρπης κεγχρίας. est enim κέγχροις, hoc est, *milio* similis: unde *miliarem* quidam Latini vocarunt. Triplex autem à Græcis ἕρπης numeratur; ἐσθιόμενος, φλυκταινώδης & simpliciter ἕρπης. ἕρπητα simpliciter vocarunt, quam *zonam* Latini. Glossæ: *zona*, ζωστὴρ, ἕρπης. Marcellus capite XI. *Facit hoc medicamentum & ad* car-

carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad Zonam, quam Græci herpetem dicunt. Capite XX. *Etiam ad papulas & sacrum ignem, vel quam Zonam vocant, benefacit.* quæ verbotenus, ut alia, à Scribonio transcripsit, capite XXIII. Idem Sribonius cap. centesimo: *Ad Zonam (quam Græci ἕρπητα dicunt) faciunt quidem ut supradicta omnia, præcipuè cicuta viridis bene trita & imposita.* Zona igitur ἕρπης, quæ etiam à Græcis ζωστὴρ appellatur. Glossario ζωστὴρ, ζώνη exponitur. Instar enim zonæ medium hominem ambit & cingit. Plinius libro XXVI. capite XI. *Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, & enecat si cinxerit.* Inde etiam *circinum* vocarunt, τὴν ζώνην. *Circinus* etiam ζώνη in Glossis exponitur. Cæterum, quem *sacrum ignem* hic Serenus appellat, à Græcis ἐρυσίπελας nuncupatur. Supra notavimus, omnes calidos tumores & dolorosos, vocari inflammationes; sed pro materia differre. Alia propriè *inflammatio*, alia ἕρπης, alia *carbunculus*, alia ἐρυσίπελας. erysipelas autem hìc est *Ignis sacer* Samonici. Vetus Glossularius in Samonicum, cujus etiamnum verba ad oram quarundam editionum leguntur, hujus capituli primo versu notat: *ἐρυσίπελας Græcis dicitur, vulgo ignis divi Antonii.* Alii *ignem D. Antonii.* τὸ σφάκελον interpretantur, ut Manardus. Atqui σφάκελος, perfecta partis inflammationem perpessæ mortificatio: cum enim imperfecta, à Græcis γάγγραινα dicitur. σφάκελος etiam insanabilis est, nec ejus aliud remedium, quàm emortuum membrum quàm proximè sanæ parti precidere. Non igitur ἐρυσίπελας, *S. Antonii, ignis* recte exponitur. Tumorem ex sanguine fervente ac tenui consistentem Galenus privatim erysipelas, hoc est, ignem sacrum appellat; eum, qui ex utrisque, sanguine ac bile, conflatus, ex superantis humoris no-

mine ducta affectionis appellatione, nominavit. Quum enim sanguis superat, inflammationem erysipelatosam; quum flava bilis, erysipelas inflammatum appellat. In communi verò, tumorem ex sanguine ac bile calidioribus factis productum, erysipelas nominat; *ignem*, vel *ignem sacrum* hoc versu Samonicus:

Est etiam morbi species, quæ dicitur ignis.

Aut parili nova ruta modo, sed jungis olivum] Dioscorides περὶ πηγάνου: ἐρυσιπέλατας καὶ ἕρπητας καὶ ἀχῶρας σὺν ὄξει καὶ ψιμμυθίῳ καὶ ῥοδίνῳ καταχριόμενος ἰᾶται. Plinius ad verbum de ruta: illita emendat *ignem sacrum ex aceto & oleo, vel psimmythio.* Scribon. Largus cap. XCVIII. *Ad ignem sacrum benefacit hoc medicamentum; rutæ viridis pondo triens, spumæ argenti pondo bes, aceti sextarius unus, olei viridis sextarius, cum aceti parte in spuma & ruta teruntur, donec levia fiant, postea quod superest aceti, vicibus cum oleo adjicitur.*

Allia dant cinerem sociato oleaque, garoque.] Fortè legendum:

Allia dant cinerem sociandum oleoque garoque.

sic liber avitus & optimi manuscriptorum. Legitur etiam in orâ quorundam:

Allia dant cinerem hunc sociato oleoque garoque.

Plinius de allio: *lepras, lichenas, lentigines exulcerat sanatque cum origano, vel cinis ejus ex oleo & garo illitus: sic & sacros ignes.*

Sæpe chelidoniæ pars candida jungitur ovi. Pars ovi candida, candidum ovorum: Ita semper Plinius appellat, & λευκὸν τοῦ ᾠοῦ Aristoteles. Altero versu *medico* pro *modico*, liber avitus. idem alibi notavimus.

PO-

PODAGRÆ DEPELLENDÆ.

QUædam sunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas species Epidaurius ipse
Dixit inesse Deus:] Hoc sequor: sed habetur in libris aliis:

Quædam haud sunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Nec ther cui undenas species Epidaurius ipse
Dixit inesse Deus:

in avito: *Quædam sunt colidæ medicamina digna podagræ.* *colidæ* pro *calidæ* scriptum à manu calida nimium pruriente. quod hic ineptissimum, nec aliud quid præter illud *rabidæ* reponendum. Scio calidam & frigidam à medicis distingui podagram, sed extra sensum horum versuum, in quibus *rabidam* vocat *podagram* Serenus, quod intensissimo dolore & acerbissimo cruciatu à multitudine nervorum illius partis, affectos quasi rabidos torqueat & infestet. Nec enim calidæ podagræ, sed omnis, nonaginta species numeravit Æsculapius, ut autor est Soranus medicus, qui Romæ Trajani & Hadriani imperiis vixit. Exstat apud Lucianum elegans dialogus, qui inscribitur ΤΡΑΓΟΠΟΔΑΓΡΑ. ejus initio rabidum dolorem & immedicabilem detestans podagricus, ita infit:

Ὦ στυγνὸν ὄνομα, ὦ θεοῖς στυγούμενον,
Ποδάγρα, πολυστένακτε κωκυτοῦ τέκνον,

vide sequentia.

Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem] *saltem mulcere*, dixit ob immedicabile malum: Ovidius:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Podagricus apud Lucianum:

Ὦ δυστέκμαρτον πᾶσιν ἀνθρώποις πάθος,

Digitized by Google

Ὡς εἰς μάτην σε πάντες ἀμφιθάλποιμεν,
Ἐλπίδι ματαίᾳ μωρὰ βουκολούμενοι.

quod tamen ut poëtæ, sic medici judicio videtur exponendum: hi enim varia consilia podagricis medentia præscribunt, quæ imposita dolorem levant, non omninò tollunt. Sic podagricum sedato morbo, Olympico certamine vicisse, tradidit Aretæus.

Cum vino tere, sic contractos perline nervos] Plinius de salice: *folia cocta & cum cera trita imponuntur podagricis. Cortice & foliis in vino decoctis foveri nervos utilissimum.* Dioscorides περὶ ἰτέας: τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτῶν, καταίντλημα ποδάγρας ἄριστον. Avitus hoc versu planè mendosus: In eo scriptum: *sic libantes pelline nervos.* posset ex ingenio emendari: *sic liventes pelline nervos.* Glossæ Cyrilli, ῥεῦμα ἐπὶ ποδάγρας, *livor.* editum tamen prætulerim.

Fervida non timidis tolera cauteria plantis.] Non medicamenta, τὰ καυστικὰ φάρμακα, sed καυτῆρα intellige, ferrum candens ad id factum. Lego tamen: *Fervida non tumidis tolera cauteria plantis.* vide sis Aëtium tetr. III. serm. IV. cap. XXV. Pictorius hic per *cauteria*, vesicatoria interpretatur, quæ humores ab intra trahant. Quod Anticyris dignissimum.

Insere: sic diræ reprimes primordia pestis.] Non *duræ.* lectio tamen optimi aviti:

Seminecisve hirci resecato pectore calces
Insere, sic diræ resecas primordia pestis.

quod elegantissimum & genuinum: dolor enim podagræ & nervorum contractorum optimè *secare* dicitur, quem tali remedio *resecas*, id est, *reprimis*; ut infimi librorum exhibuerunt. Martialis: *podagra chiragraque secatur Cajus* ——— Græci πρίεσθαι ἀλγηδόσι non aliter dicunt.

Trita cupressus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibus & teneris:] Variat in hoc remedio Marcellus,

cellus, cujus hæc verba sunt capite XXXVI. *folia cupressi contrita cum panis mollis partibus duabus, & axunguia vetere subacta, medentur doloribus podagræ.* Idem de sequenti, capite eodem: *utiliter in dolore perunguntur pedes oleo, in quo diu decocta sunt intestina ranarum: ranæ quoque rubetæ exustæ cinis cum sambuci coliculis teneris tritis, & sevo hircino vetere permixto, decocto, pariterque imposito prodest.* Scribonius etiam ad frigidam podagram *sabucum cum axungia vetere tritam & impositam* commendat cap. XLI.

Aut nitidum ranæ decoctum viscus olivo] *Aut nitido*, quidam typis editorum. *Viscus* hoc numero frequens apud Celsum & alios, quicquid obstrepant Sosipater & Diomedes. suprà Serenus:

——— *interno cum viscere tænia serpens.*

de remedio modò probavit Marcellus. Podagra apud Lucianum:

Ἔψουσι φρύνας, μυγαλᾶς, σαύρας, γαλᾶς,
Βατράχους, ὑαίνας, τραγελάφους, ἀλώπεκας.

Sive chelidoniæ succus sale mistus aceto.] Ora Stephani:

Sive chelidoniæ succus sed mistus aceto.

Sunt quibus apposita siccatur hirundine sanguis.] Scribo: *siccatur hirudine sanguis.* Plinius de hirudine: *multi podagris quoque admittendas censuêre.* libro XXXII. cap. X.

Hoc quidam raptus morbo per tempora messis.] Optimus avitus: *Hoc quidam rapidus morbo.* Sic etiam margo libri Gryphiani. Prius tamen haud immutandum. Legit de Sexto Pomponio, de quo Plinius libro XXII. cap. XXV. *Sextus Pomponius prætorii viri pater, Hispaniæ citerioris princeps, cum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore prodagræ, mersit in triticum sese super genua: levatusque siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est.*

VUL-

Digitized by Google

VULNERIBUS FERRO AUT VERBERIBUS FACTIS.

TUm lixiva cinis ceras dissolvit & ova] στακτὴ κονία Græcis, ut alibi notavimus, id est, liquidus cinis & percolatus, διηθημένος. Glossario medico *lixiva cinis* exponitur κονία στακτὴ καὶ διηθημένη. *lixiva cinis* etiam appellatur à Scribonio Largo.

Purpura torretur conchyli perlita fuco] *conchylis pellita fuco*, scriptum in avito libro. Sic infrà: *Quod fuerit verò conchylis sanguine tinctum.* quod idem ad Catullum observat Scaliger:

Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco:

quod si verum, *conchylis* est κογχυλὶς, κογχυλίδος. nec *succo* pro *fuco* restituendum est in Sereno, quod ad oram Gryphianæ & Stephaneæ legitur editionum. Mattius antiquus Poëta:

Jam tonsiles tapetes ebrii fuco
Quos concha purpurâ imbuens venenavit.

venenavit, tinxit, infecit, ἐφάρμαξε. Glossæ, *venenum, tinctura.* Græci φάρμακον eodem modo ἀντὶ τοῦ βάμματος. unde φαρμακῶνες, τὰ βαφεῖα, & φαρμάσσειν *tingere*: inde *venenatum* flammeum, βαπτὸν περιβόλαιον. De tosta purpura paria cum Sereno Dioscorides libro II. cap. IV. πορφύρα καεῖσα δύναμιν ἔχει ξηραντικὴν, σμηκτικὴν ὀδόντων, ὑπὲρ σαρκωμάτων δὲ καταστα λτικὴν, ἀνακαθαρτικὴν ἑλκῶν, ἀπουλωτικήν.

Præterea nimios reserati vulneris amnes
Peniculi cinis adstringit, vel fimbria porri.] Cinis è penicillis etiam alibi à Plinio commendatur. Inter τὰ ἔμμοτα veterum medicorum, numerabantur & penicilli, quibus vulnera stipabantur, ne præproperè clauderen-

derentur. Celſus alibi: *tum exigua penicilla interponenda. Vulneris amnes* eleganter dixit, ut ſuprà: *Admiſcere memor lymphas amnemque falerni.* Virgilius: *Sanguinis ille vomens rivos cadit.* ——— Aldhelmus de laudibus virginitatis: *cruorem ritu rivi rorantis deſpumare* dixit. Vulgò *deputare* malè lectum. Virgilius IX. Æn. *& plenos ſpumanti ſanguine rivos.*

Sive fimus manni cum teſtis uritur ovi,] *Sive fimus minni,* corruptum eſt in avito: *ninni* tamen ad ejus oram allevere. *ninnus* eſt pumilus equus. Heſychius: νίννον τ καβάλλην. In Gloſſis *popus* νίννιον exponitur. immo *ninnus* eſt hinnus, γίννος, unde hinnulus. Gloſſæ: *inulei,* νεβροί. Heſychius ἰνουλέους interpretatur παῖδας ἐλάφου. Ita Græci loquuntur, πῶλοι, παῖδες ἵππων. Iſidorus: *innuli filii ſunt cervorum, ab innuere dicti.* Gloſſæ Latinorum Græcæ: *innuli,* οἱ ἐξ ἵππου καὶ ὄνου. In Samonico tamen nihil opinor immutandum. nam *manni* ſunt βυῤῥίχοι. Martialis:

Nuſquam eſt mulio, mannuli tacebunt.

Acron Horatii interpres: *manni, quod manſuetudine manum ſequantur.*

VULNERIBUS QUIBUSCUNQUE CASIBUS FACTIS.

Iſdem igitur monitis caſus ſanabimus omnes.] Ita doctiſſimi viri reſcripſêre, cum antè legeretur:

——— *caſus armabimus omnes.*

quod editio Moliniana retinet, quam Gryphius exhibuit, & ex antiquis libris omnino probamus:

Sic tamen ut nullus medicinam clauſerit error] Ut curato vulnere & extrinſecus obducto de tutiſſima

cura

cura conſtet. In ora Stephani ——— *medicinam excluſerit error.*

Contritus cum melle dabit medicamina bulbus.] bulbus ex mulſo, ut alibi loquitur. Plinius de medicina bulborum: *vulneribus quoque mirè proſunt per ſe, aut (ut Damion) ex mulſo, ſi quinto die ſolvantur.* altero verſu legit Avitus:

Ergo modis cuicunque obtinget vulneris atri.

Appoſitu prodeſt adipi permiſta vetuſto.] Aliter Dioſcorides περὶ μυελοφύλλου. τοῦτο τηρεῖ ἀφλέγμαντα τὰ νεότρωτα τῶν ἑλκῶν σὺν ὄξει χλωρόν τε καὶ ξηρὸν καταπλασσόμενον.

Ambuſtæve cinis complebit vulneris ora] Cinis ambuſtæ lanæ cruſtas obducet vulneri & ad cicatricem perducet. Plinius de medicina lanarum: *cinis ejus illinitur attritis, vulneratis, ambuſtis.* Dioſcorides περὶ ἐρίων κεκαυμένων. τὰ δὲ κεκαυμένα ἔρια, δύναμιν ἔχει ἐσχαρωτικήν, ὑπερσαρκωμάτων σταλτικήν, ἀπουλωτικὴν ἑλκῶν. quarè libri quibuſdam collati:

Ambuſtive cinis complebit vulneris ora.

Sed extra ſenſum autoris, in quo τὰ κεκαυμένα ἔρια, non autem πυρίκαυστα ſive ambuſta vulnera intelliguntur. Gloſſæ: *ambuſtus*, περιπεφλεγμένος, περίκαυτος. talem vocant, qui puſtulas ex igne vel aqua ferventi adſperſa in cute concepit. De iis ſub lemmate, COMBUSTURIS IGNE VEL FRIGORE, infrà Serenus agit. *ora* autem *vulneris*, ut *ora ulceris*, *venarum* &c. apud Celſum & alios.

At ſuccis hederæ pulchreſcit fœda cicatrix.] Avitus:

Ut ſuccis hederæ polchreſcit fœda cicatrix.

antiqui *polcher* & *pulcher* dicebant, ut notum & annotatum ab eruditis.

HO-

HOMINIS AC SIMIÆ MORSUI.

SIve homo, seu similis turpissima bestia nobis,] Ex Ennii versu: *Simia quam similis turpissima bestia nobis.* Plinius de simiarum similitudine cum homine, libro XI. cap. XLIV. *nam simiarum genera perfectam hominis simulationem continent, facie, naribus, palpebris, quas solæ quadrupedum & in inferiore habent genâ. Jam mammas in pectore & bracchia, & crura in contrarium similiter flexa: in manibus ungues, digitos, longioremque medium. Pedibus paululum differunt. Sunt enim ut manus prælongi, sed vestigium palmæ simile faciunt. Pollex quoque his & articuli ut homini: ac præter genitale tantum, & hoc in maribus, viscera etiam interiora omnia ad exemplar.* Plerique veterum simiam cum homine compararunt aut deformi aut astuto. Arnobius libro III. *nam quid in homine pulchrum est, quid quæso admirabile, vel decorum, nisi quod & clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune?* Sic ea verba legenda doctissimi viri viderunt ex Regiis & optimis membranis. libri de vulgo exhibebant: *nisi quod & veterino cum pecore.* Apud Plautum Truculento, Stratilax Astaphium, deformitatem ejus exprobans, *clurinum pecus* appellat, in hæc verba: *tu verò clurinum pecus Advenisti huc ostentatum cum exornatis ossibus,* quomodo ibidem legendum pro *sistentatum* rectè Salmasius vidit. Glossæ: *clura,* πίθηκος. inde *Pithecium* appellata Phronesii ancilla in eadem Truculento. Lycophron πιθηκόμορφον invenustum hominem appellavit, cum dixit: πιθηκομόρφῳ πότμον αἰπώλου φθόρον Τάξει ——— Isidorus: *simia cum cauda est, quam quidam cluram vocant.* quæ futilis Isidori

meris

mens eſt. non enim cum cauda ſimia, ſed animal ecaudium, ἡ κολούρη. Gloſſæ Græco Latinæ: κόλουρος, *ſine cauda*. ἡ κολούρη, *clura*. κολούρα Græcorum fecit, *clura* Latinorum: inde *clurinum pecus* apud Plautum & Arnobium. Papias: *clura vel clurinum ſimia dicitur*. Etiam aſtutos, *ſimias* vocabant. Inde Græcorum adagium: πίθηκος ἐν πορφύρᾳ, quod uſurpabant ὅτι οἱ φαῦλοι κἂν πολλοῖς περιβληθῶσιν, ὅμως δ' οὖν διαφαίνονται πονηροὶ ὄντες, ut interpretatur Suidas. κέρκωπες eodem ſenſu dicuntur. & Græci πιθηκισμοὺς pro fraudibus expoſuerunt, ut Ariſtophanes Equitibus:

Κλ. οἴμοι τάλας. οἵοις πιθηκισμοῖς με περιελαύνεις.

Cæterum, cum de noxiorum animalium morſu ſcribere inducat Serenus, eorum medicorum exemplo, ab iis qui ab homine morſi ſunt, initium facit. Quod etiam Archigenem feciſſe, tradit Aëtius.

Vulnera dente dedit, virus ſimul intulit atrum] Nam omnis feræ morſus habet quoddam virus. Vide Celſum lib. V. cap. XXVII.

Betonicam ex duro prodeſt aſſumere Baccho] *ex duro Baccho*, id eſt, ex vino veteri, ſicut habet Plinius. *puro* tamen in margine quarundam editionum legitur. Græci ſimpliciter adverſus venena ex vino potam convenire volunt. Dioſcorides περὶ κέστρου. μετ' οἴνου κοτυλῶν β'. καταπλασσομένη δὲ ἡ πόα, ὠφελεῖ τοὺς θηριοδήκτους, καὶ πρὸς τὰ θανάσιμα ὁλκὴ μετ' οἴνου ποθεῖσα ἁρμόζει.

SERPENTIUM MORSIBUS ET VENENIS EXCLUDENDIS.

FOrtaſsè ex libris reponendum: ET VIPERINIS EXCLUDENDIS. Quæ diverſa ſunt

in

in consilio medico. Alio enim modo serpentium morsus, alio viperarum & aspidum curantur. utrumque concernit hoc capite Serenus. Aliam lectionem tamen non improbamus, cum serpentium nomine & viperæ comprehendantur, & à medicinæ genere & demonstratione non distinguantur. Celsus libro V. hoc ipsum innuit, capite XXVII. *Serpentium quoque morsus non nimium distantem curationem desiderant, quamvis in ea multum antiqui variarunt, ut in singula genera anguium singula medendi genera præciperent; atque aliis alia.* Addit: *Sed in omnibus eadem maximè proficiunt.* docetque, imprimis morsum membrum super vulnus deligandum esse, & deinde venenum extrahendum. Ad quod, ut ibidem tradit, & homines exsugentes adhibebantur. *neque hercules, scientiam præcipuam habent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam. nam venenum serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè utuntur, non gustu sed in vulnere nocent.* Psylli vocabantur, qui venenum exsugebant, cum quis à serpente morsus erat. Arnobius libro II. *adversus ictus noxios & venenatos colubrarum morsus remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos labiis Psyllis, Marsisve dentibus, aliisque institoribus atque planis.* Sic ea Arnobii verba corrigenda, rectè doctissimus Auratus, primus, quod sciam, vidit: quæ postea & Theod. Canterus & alii arripuerunt: quare miror eam emendationem sibi vindicare virum summum Claud. Salmasium in notis ad Tertulliani Pallium. Psylli in Africa serpentibus medebantur, ut in Italia Marsi. Plinius libro VII. cap. II. *In Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchides scribit, à Psyllo rege dicta, cujus sepulchrum in parte Syrtium majorum est. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore sopirent eas.* ibidem de Marsis: *Simile & in Italia Marsorum*

sorum gente durat, quos à Circes filio ortos ferunt, & ideo inesse iis vim naturalem eam: & tamen omnibus hominibus contrà serpentes inest venenum: &c. Hoc & alii memorarunt. Psyllos non tantum exsugendo veneno, sed & sopiendis carmine serpentibus valuisse. Perperam pro *labiis*, *laminas* in iis Arnobii verbis, de Psyllis & Marsis easdem vendentibus exposuerunt.

Cuspide non quisquam, longæ neque cæde carissæ] Alii *larissæ*, alii *carissæ* legendum exhibuerunt. *larissæ* etiam in avito libro, manuscriptum. indubiè *sarissæ* pro eo rescribendum: *longæ neque cæde sarissæ.* Livius Libro VII. *ibi simul perturbati ordines, & impeditius incursu suorum usus prælongarum hastarum (sarissas vocant Macedones) intulêre signa Romanæ legiones, & pila inter turbatos conjecêre.* libro VIII. *per operculi foramina, prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad submovendos hostes prominebant.* Leo imperator τακτικῶν cap. VI. αἱ δὲ σάρισσαι ἦσαν κοντάρια μακρὰ ἕως πηχῶν. λ΄. καὶ ἄχρι πηχῶν ιϛ. ἴδια δὲ ἦσαν μάλιστα τῆς μακεδονικῆς ὁπλίσεως.

Quem nocuit serpens, fertur caput illius aptè
Vulneribus jungi: sanat quem sauciat ipsa:] Non est ex vilioribus editis arrogandum: *Quum nocuit serpens.* vel *cui nocuit serpens.* earum lectionum architecti forsan fuêre, qui, ne vetusta, vel omnium vetustissima, laboraret, ignaram latinitatis emendationem reposuerunt. In optimis & avito libro scriptum, ut edidimus: *quem nocuit serpens.* Seneca libro V. Controv. *dum filium vindico, ubi me gravissimè nocere possit, ostendit.* In quibusdam Plauti membranis, Mil. Gloriosi. act. V. *Jura, te non nociturum esse hominem de hac re neminem.* Barthius etiam altero versu legit: *sanet quos sauciet ipsa:* quasi velut imperantis longè acutior vox sit, exponentis; moriatur, ipsamet opem ferat iis, quos læserit. nihil omnino resumendum:

Utque

Utque Larissæa curatus Telephus hasta.] De Telepho ab Achille vulnerato & curato nota fabula est. Eam aliquis apud Lucianum alludens, hanc expositionem dedit: ἐπὶ τὸ τρώσαντα ἐλθόντας, ἰᾶσθαι παρακαλεῖν. Dixerat enim oraculum: ut eâdem hasta, quâ vulneratus erat Telephus, ab Achille sanaretur. Plinius libro XXV. capite. V. *Invenit & Achilles discipulus Chironis, quâ vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hac sanasse Telephum dicitur. Alii primum æruginem invenisse, utilissimam emplastris; ideoque pingitur ex cuspide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Alii utroque usum medicamento volunt.* Ἀχίλλειον ab Achille inventam plerique medicorum tradidêre. eam σιδηρίτιν appellat Dioscorides libro IV. cap. XXXVI. Ἀχίλλειος, καλοῦσι τινὲς καὶ τὴν ἀχίλλειον σιδηρῖτιν, φέρει δὲ ῥάβδια σπιθαμιαῖα. &c. Plinius aliam opinionem adjungens, ærugine curatum ab Achille Telephum tradit. libro XXXIV. cap. XV. *rubiginem ferri* vocat, eam æruginem. *Est & rubigo ipsa in remediis, & sic Telephum proditur sanasse Achilles, sive id ærea, sive ferrea cuspide fecit. Ita certè depingitur eam decutiens gladio.* Inde τηλέφιον ἕλκος de maligno & inveterato ulcere dicebant, cujus Ægineta meminit libro IV. cap. XLVI.

Proderit & caulem cum vino haurire sabuci.] Dioscorides περὶ χαμαιάκτης. ἡ ῥίζα δὲ αὐτῆς ἀφεψηθεῖσα σὺν οἴνῳ καὶ διδομένη πρὸ τῆς διαίτης, ὑδρωπικοὺς ὠφελεῖ. βοηθεῖ καὶ ἐχιοδήκτοις ὁμοίως πινομένη. *viperarum morsibus*, ἐχιοδήκτοις, eodem modo pota prodest. Plinius ea verba sic reddidit: *radicis ejus in vino decoctæ duo cyathi poti, hydropicos exinaniunt: Resistunt folia & serpentium ictibus in vino pota.*

Aut coctum raphani librum tritumque ligare.] Plinius de raphano sativo: *sativi in posca decocti, contra serpentium morsus illinuntur.* μετ' ὀξυμέλιτος Dioscoridis,

dis, ille *in posca* exposuit. περὶ ῥαφανίδος. ὁ δὲ φλοιὸς αὐτῆς μετ' ὀξυμέλιτος λαμβανόμενος βοηθεῖ καὶ ἐχιοδήκτοις. eandem ejus semini vim tribuit ex vino contra cerastis morsus epoto. Glossæ medicæ: *posca*, ὀξύκρατον *pusca*, ὀξύμελι, ubi forte & ὀξύκρατον restituendum. *puscam* etiam Celsus appellat, quam alii *poscam*. φοῦσκα sæpe legitur apud Aëtium & Æginetam.

Carduus est nondum doctis fullonibus aptus,

Ex illo radix tepido potatur in amni.] Quem carduum hic intelligat, haud facilè consequor. Puto tamen spinam vulgarem Plinianam, *ex quâ cortinæ fulloniæ implentur*, ut ille ait, & cujus radicis usus est in medicinis. inde Serenus eam spinam describere volens, nondum doctis fullonibus aptam esse dixit, nimirum carrendæ lanæ. nam *carduus* à carrendo, unde & *carmen*, instrumentum ad carrendam lanam. Dioscorides autem spinam altam intellexisse videtur, qui tamen de ejus semine, non radice, τοῖς ἑρπετοδήκτοις mederi tradit, libro III. cap. XIV.

Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi.] Dioscorides libro III. cap. XCI. νάρθηξ καὶ ἐχιοδήκτοις δίδοται σὺν οἴνῳ. Plinius de ferula: *radix denarii pondere in vini cyathis duobus, bibitur adversus serpentes.*

Betonicæve leves, gallinæ aut jura vetustæ.] Vide Dioscoridem περὶ κίστρου. Celsus: *Italia, frigidioresque regiones hac quoque parte salubritatem habent, quòd minus terribiles angues edunt. Adversus quos satis proficit herba betonica*, &c. Plinius libro XXX. cap. VIII. extremo: *morsibus imponitur vettonica præcipuè: cui vis tanta perhibetur, ut inclusæ circulo ejus serpentes, ipsæ sese interimant flagellando. datur ad ictus semen ejus denarii pondere cum tribus cyathis vini, vel farina drachmis tribus sextario aquæ imponitur.* quæ postrema à Dioscoride transcripta, capite laudato. *Vettonicæ* etiam in avito libro scriptum, sed altero membro

bro indubiè mendoso: *Vettonicæve leves, gallinæ aut crura vetustæ.* rectè restitutum à correctoribus: *gallinæ aut jura vetustæ.* ζωμὸς τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων. Plinius libro XXIX. capite quarto: *carnibus gallinaceorum, ita ut tepeant avulsæ, appositis, venena serpentium domantur: item cerebro in vino poto. Parthi gallinæ malunt cerebrum plagis imponere. Jus quoque ex his potum præclarè medentur, & in multis aliis usibus mirabile.* Sic Græcis eo remedio præscribitur ἐγκέφαλος ἀλεκτορίδων, gallinarum cerebellum: item integra gallina dissecta, calens apposita. Dioscorides περὶ ἀλεκτορίδων. Ἀλεκτορίδες ἀναχισθεῖσαι καὶ ἐπιτεθεῖσαι ἔνθερμοι, τοῖς ἑρπετῶν δήγμασι βοηθοῦσι. Vide eundem libr. VIII. cap. I. quarè miror, nec tamen moror, ad oram illius aviti antiquam manum eam lectionem exposuisse, *gigerias gallinarum.* Gigerias gallinarum Græci vocant ἀκρῶα, σπλάγχνα, ἔνθερα ἀκρῶα. Ita interpretatur Hesychius. Glossæ: *gigerus*, τὸ ἀκρῶον τῶν ὀρνίθων. sic pro corrupto τὸ ἄκρον, Salmasius emendavit. Vetus Poëta apud Charisium ex ejusdem emendatione:

Gigeriis fumat calido cum farre catinus.

antea legebatur: *Jugeribus fumat.* Sed de gigeriis nihil hic ex præscripto medicorum, qui juscula gallinaceorum commendaverunt.

Si verò horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Urinam credunt propriam conducere potu.] Tres aspidum species doctissimi medicorum cum Galeno numerarunt, χερσαίας, χελιδονίας & πτυάδας, quarum ultimam hoc loco Serenus intellexit, cum *feram aspidem* vocaverit non omnem, sed eam propriè, quæ inspuendo perimit. πτυὰς ab Aëtio quoque vocatur. Plinius à Sereno adductus, capite VI. libri XXVIII. *magna & urinæ non ratio solum, sed etiam religio apud auctores invenitur, digesta in genera. spadonum quoque* ad

Digitized by Google

ad fœcunditatis beneficia. Verum ex his, quæ referre fas sit, impubium puerorum contra salivas aspidum, quas ptyadas vocant, quoniam venena in oculos hominum exspuant. idem & contra serpentium morsus suam cuique urinam prodesse tradit, eodem capite. Potest & alia mens dari versus istius Sereni, ut qui *feram aspidem* vocaverit peregrinam, id est, quæ in Europa non viseretur. Ovidius:

Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

rectè *somniferis* dixit, nam omnium commune σύμπτωμα dormiendi libido. Aëtius: κοινὰ δὲ συμπτώματα καὶ σημεῖα συμβαίνουσι τοῖς δηχθεῖσιν ὑπ' αὐτῶν. Glossæ: ὑπναλέη ἀσπὶς, *somnifera*. Plinius lib. XXIX. cap. IV. *Aspides percussos torpore & somno necant, omnium serpentium minimè sanabiles.* Cinna:

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

(Plinius ut memorat) sumpti juvat imber aceti.] Libro XXIII. capite I. extremo: *nescière medici quantum* (acetum) *contra aspidas polleret. Nuper ab aspide calcata percussus, utrem aceti ferens, quoties deposuisset, sentiebat ictum, aliâs illæso similis. Intellectum ibi remedium est, potuque succursum.* Celsus libro V: capite XXVIII. *Usus tamen ipse docuit, eum quem aspis percussit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cujusdam pueri, qui cum ab hac ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum, quod fortè secum habebat, ebibit, & liberatus est. Credo quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quo fit, ut terra respersa, eo, spumet. Eadem ergo vi verisimile est, spiscessentem quoque intus homorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem.*

(Cautio namque potest diros prævertere morsus)] *diros prævertere morbos*, liber avitus. Sed illud non inverten-

vertendum. Triplex autem medicinæ ratio, ſalubris, præcavens, & ſanans; quarum elegans locus exſtat apud Dioſcoridem libro ſeptimo, περὶ ἰοβόλων. ἀναλόγως οὖν τούτοις τοῖς περὶ κατασκευάσασιν, εἰς τρία διῃρῆσθαι τὴν τέχνην. εἴς τε τὸ ὑγιεινὸν ὃ δὴ τηρητικόν ἐστι τῆς ὑγείας. καὶ εἰς τὸ προφυλακτικὸν, ὅπερ κωλυτικόν ἐστι τῆς εἰς τὰς νόσους ἐμπτώσεως. καὶ εἰς θεραπευτικὸν, δι' οὗ λύεται τὰ πάθη. Et paulò ſuprà eodem capite: οἱ δὲ νεώτεροι αὐτὸν ἐχώρισαν, προφυλακτικὴν καὶ προφυλακτικὸν ὀνομάζοντες, τοῦ δὲ ὑγιεινοῦ καὶ τοῦ θεραπευτικοῦ μέσον τάξαντες, μικρᾷ καὶ παντάπασιν ἐπιπολαίῳ πλανηθέντες πιθανότητι.

Si jecur exectum tardo de vulture portes.] *Cor vulturinum* habet Plinius libro XXIX. cap. IV. *cor ejus alitis habentes, tutos eſſe ab impetu non ſolum ſerpentium, ſed etiam ferarum latronumque & regum ira.*

Quas prius attritas vehementi ſpargis aceto.] ita libri, quod ſciam, omnes. In avito tamen exaratum: *vehementer ſpargis olevo.* Ex quo poſſet emendari: *vehementer ſpargis olivo.* σὺν ἐλαίῳ. Dioſcorides περὶ καμπῶν. κάμπαι αἱ ἐπὶ τῶν λαχάνων γινόμεναι, περιχριόμεναι σὺν ἐλαίῳ ἀδήκτους ἀπὸ τῶν ἰοβόλων φυλάττειν λέγονται.

Aut genere ex ipſo dentem portabis amicum.] Vehemens antipathia notatur à rerum naturalium peritis inter cervum & ſerpentem; unde venenatis arcendis varia de cervo remedia notavêre medici; crudum cornu ſuffitum, dentes adalligatos collo, pellem cervinam, ſordes oculorum, quarum Scribonius Largus meminit capite XLII. *habere incinctum* (ſcribo *in cincto*) *oportet peucedanum, vel cervi, quum captus eſt, in oculi angulo, qui eſt ad nares verſus, quæ inveniuntur ſordes viroſi odoris. has Siciliæ venatores diligenter colligunt & habent in cincto propter ante dictam cauſam.* Cætera paſſim obvia ſunt.

Toxica præterea quâ ſint pellenda medela] *Toxica* retinuit etiam avitus. alii *taxica* tamen legerunt ex idio-

Digitized by Google

idiotiſmo eorum temporum. Plinius de taxo arbore: *Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tingantur.* hoc ineptiſſimum, ut Scaliger & alii doctorum obſervarunt. Ægineta libro V. τὸ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὀνομάζεσθαι, ἐκ τοῦ τὰ τοξεύματα ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἐν αὐτῷ χρίεσθαι. Dioſcorides libro VI. cap. XX. τὸ δὲ τοξικὸν, δοκεῖ μὲν ὀνομάζεσθαι, ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτῶν χρίεσθαι. Cæcilius in Gamo: *ut hominem miſerum toxico tranſegerit.* τὸν ἄνθρωπον φαρμάκῳ ἐξανύσῃ. ubi *toxicon*, telum eo infectum. Gloſſæ medicæ: τόξικον, δηλητήριον φάρμακον. Scribonius Largus cap. LXIII. *Toxicum cujus ſit guſtus, haud facile quivis dixerit: verum quum potum eſt, è veſtigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum, & velut telo trajectorum, concitatque mentis furorem, cogitque exululare, & palpitare lingua ſimiliter decollatorum capitibus. nihil enim poteſt intelligi ex voce eorum.* Idem capite XLV. *Antidotus Caſſii medici facit adverſus toxicon potum: eadem, ſi quis venenato telo percuſſus eſt.*

Expediam: ſanguis poterit podeſſe caninus.] *caprinus*, ut ſuprà etiam notavimus, pro *caninus*, gemino loco mendosè ſcriptum in avito libro. Plinius libro XXIX. cap. IV. *ſanguine canino contra toxica nihil præſtantius putatur.* poſſet tamen & illud lectionis ex Dioſcoride defendi περὶ τοξικοῦ. ἰδίως δ' ἐπ' αὐτῶν ἁρμόζει καὶ ἡ τοῦ πενταφύλλου ῥίζα, αἷμά τε τράγου, ἢ αἰγὸς ὁμοίως λαμβανόμενα. ſed alterum longè nobis ſatisfacit.

Aut ſtyracem torres, aut diri vulturis alam.*]** **Plinius de ſtyrace, lib. XII. cap. XVII.** ***eundem ad ſerpentes fugandas urunt in odoriferis ſylvis frequentiſſimas. **Sic Herodotus ſtyracem ab Arabibus incendi ſcribit, cum thus colligunt, ut ejus odore ſerpentes pinnatas abigant, qui thuris arbores cuſtodiunt. Agatharchi-**

des

des & Diodorus serpentium πλῆθος ajunt esse κατὰ τὰς εὐωδεστάτους δρυμοὺς Arabum. Sed in illo avito: *Aut storacem torres. storacem* pro *styracem*, ἀρχαϊκῶς. Virgilius in Scylla:

Et storace Idæo vinctos perfusa capillos.

Plinius idem de vulturina penna notavit libro XXIX. capite IV. *ex volucribus in auxilio contra serpentes primum vultur est. annotatum quoque minus virium esse nigris: pennarum ex his nidore, si urantur, fugari eas dicunt.*

ICTIBUS SCORPII, ET MORSIBUS MURIS CÆCI VEL ARANEI.

CAptant securos multâ jam nocte sopores.] Non *sopore*. De scorpione sacro vide Lucianum de Deâ Syria.

Et documenta dedit nobis, prostratus Orion,
Magna quod exiguis perimantur sæpe venenis.] Alludit ad Orionis fabulam, quem à scorpione ictum periisse Poëtæ passim memorant, cum Dianæ vim inferre conaretur. Palæphatus: ὀργισθεῖσα δὲ ἡ θεὸς, ἀνέδωκεν ἐκ τῆς γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον, ἀπέκτεινε. Exstat de eadem elegans Orphei epigramma περὶ λίθων, cujus hi versus etiamnum adducuntur:

Σκόρπιε, σεῖο δὲ λᾶαν ὁμώνυμον ἔμμεναι ἥρως
Ἀγλαὸς Ὠρίων οὐκ ἔκλυεν. ἦ γὰρ ὀΐω
Πικρῆσιν ποτὲ γῆαν πεπαρμένος ἀμφ' ὀδύνῃσι,
Μᾶλλον σφωϊτέρων κεῖν' ἐκεῖνα θηλησαίμενος ἄστρων,

altero Sereni libri quidam:

Magna quod exiguis perimantur membra venenis.

Digitized by Google

quod nescio, cur eruditi viri non ausi fuerint reponere. Diocles in eo commentario, quem Pistarcho dicavit, apud Dioscoridem libro VII. capite primo, venustè ad hunc modum loquitur: γνοίη δ' ἄν τις τοῦτο καὶ ἐπ' ἄλλων οὐκ ὀλίγων, καὶ ἐπὶ τῶν ἐχιδνῶν ἢ σκορπίων καὶ ἑτέρων τοιούτων ἀτενίσας· δὲ ὡς ἄδηλα καὶ μικρὰ τὸ μέγεθος ὄντα, μεγάλων αἴτια κινδύνων καὶ πόνων γίνεται. vide sequentia. Etiam Hebræi sapientes, cum suos monerent, ut ab odio hominum, sibi, quantum possent, caverent; caussam addebant: *sæpe magnum hominem à parvâ muscâ strangulari.*

At qui vulnus atrox incussit scorpius ardens,] *Et quum vulnus atrox*, in aliis libris. Celsus libro V. cap. XXVII. *In quibusdam etiam aliis serpentibus, certa quædam auxilia satis nota sunt. Nam scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodem modo contritum super vulnus imponunt, quidam super prunam eo imposito vulnus suffumigant, undique veste circumdata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem ejus super vulnus deligant.* Plinius de scorpionibus: *homine icto putatur esse remedio eorum cinis potus in vino.* Dioscorides περὶ τοῦ ὑπὸ σκορπίου δεδηγμένου. αὐτός τε ὁ πλήξας σκορπίος λειοτριβηθεὶς καὶ ἐπιτεθεὶς τῷ πληγέντι τόπῳ, τῆς ἰδίας πληγῆς γίνεται βοηθὸς κατά τινα ἀντιπάθειαν ὡς ἔοικε. μετὰ δὲ τοῦτο ἁρμόζει λεῖος ἐπιτιθέμενος ὁ σκορπίος σὺν ἅλατι καὶ λινοσπέρμῳ καὶ τῇ ἀληθείᾳ βοηθεῖ. Nec scorpionis ictui scorpion solum, sed & aliis venenatis serpentibus serpens remedio creditur. Serenus supra de serpentium morsibus: ——— *sanat quem sauciat ipsa.* Dioscorides de mure araneo morsis: καὶ ἡ αὐτὴ δὲ ἡ δακοῦσα μυγαλῆ, ἀναπτυσσομένη καὶ ἐπιτιθεμένη, τῆς ἰδίας πληγῆς ἀντιφάρμακόν ἐστι. & paullo post: τινὲς δὲ ἀναγράφουσιν ὅτι καὶ αὐτὴ λειοτριβηθεῖσα ἡ μυγαλῆ, πρὸς τὸ ἴδιον πλῆγμα ποτίζεται. Idem de scorpionibus ἀντιφάρμακον in oleo submersis contra eorundem

dem ictus hodierni Americani usurpant, ut ex Batavis inde reversis accepimus.

Aut calidis pelagi lymphis loca læsa foventur.] περὶ θαλασσίου ὕδατος Dioscorides: καὶ πρὸς τὰ τῶν θηρίων δήγματα ὅσα τρόμους καὶ ψυγμοὺς φέρει, μάλιστα δὲ σκορπίων καὶ φαλαγγίων, καὶ ἀσπίδων, καὶ εἰ συμβαίνει τις εἰς θερμὸν αὐτὸ ὠφελεῖ. Plinius de aqua marina: *quin & ad ictus venenatos salutaris intelligitur, ut phalangiorum & scorpionum, & ptyade aspide respersis: Calida autem in his assumitur.*

Caseus aptus erit simæ de lacte capellæ,]
Cumque hoc absumi debebit origanus herba.] Ora Gryphiani libri: *pavidæ de lacte capellæ.* in eo non sunt positæ medicorum opes. Plinius eodem remedio: *caseum caprinum cum origano impositum, vel sevum cum cera.* istum caseum Græci vocant τυρὸν αἴγειον. Athenæus: Σὺ μὲν φησι καθημένος πῖνε, καὶ ἐπιξύοντες τυρὸν αἴγειον.

Nec non fœniculo calidum annectatur anethum.] In aliis, quod sciam, libris editur.

Nec non peniculo calidum annectetur acetum.

Exiguo piperis cerebrum conspergito galli] Parthi gallinæ cerebrum plagis istis adhibebant, ut habet Plinius, qui & cerebrum in vino potum commendat. ἐγκέφαλοι ἀλεκτρυόνων ἐσθιόμενοι à Dioscoride præscribuntur. neutrum tamen Serenus expressit, qui & ambiguè hoc loco quibusdam in libris exhibetur: *cerebrum conspergito melis.*

Quæ sola signavit volvendis orbita plaustris.] Plinius de mure cæco vel araneo, libro XXIX. cap. IV. *Est & contra morsum ejus remedio terra ex orbita. Ferunt enim non transiri ab eo orbitam torpore quodam naturæ,*

SUBI-

SUBITANEO DOLORI FEBRI, ATQUE OSTOCOPO.

Cujus origo latet, veris reprimenda medelis.] *Cujus causa latet*, alii librorum notantibus aliis: quod hic nimis geminum.

Ostocopon lento conducit melle perungi.] Liber avitus: *Hostocopon.* sic *hostus* pro *ostus*, & similia veterum Latinorum, quæ tamen Græcis adversantur. ὀστοκόπος, *ossa tundens dolor* in glossario medico exponitur.

Membra lines, fotuque ferus mulcebitur ignis.] *Ignis* non proletario intellectu hic positus est. Etenim febris ex re nomini suo respondens, hoc est, æstuosa ac fervens notatur: quam significantissimâ *ignis* appellatione insignibant veteres. non enim aliam naturam quam ignis habet, nempe calore & siccitate, duabus ignis qualitatibus, præditam. Hippocrates in epidemiis & alibi, πῦρ ἔλαβε, sæpè dixit: ad cujus loca Galenus, οὕτω ὀνομάζειν εἰωθὼς τὸν πυρετὸν ὅταν ᾖ σφοδρότατος. Et alibi: ἴσμεν ὅτι πῦρ ὀνομάζει τὸν πυρέστατον πυρετόν. Ac sic passim πῦρ ὀξὺ, πυνικὸν, & similia Hippocrati. *fotuque ferus mulcebitur ignis.* Nonius: *febris proprietatem habet à feritate morbi vel mali, ut à calendo calorem vel caldorem. Var. Andebatis: Aperiendum putat: idque alterum appellamus à calendo calorem, alterum à fervore febrim.* quare undecimo versu legendum: *atque artus illinc mulcere calentes.* in quibusdam est mendosum: *atque artus illo hinc mulcere dolentes.* suprà, *calidæ depascent corpora febres.*

Seminecis cervi lacrymam miscere liquori Convenit] *Seminecis vitis*, habet ora Stephani.

Febri-

Digitized by Google

Febribus at longis galli nova jura vetusti.] Non: *aut longis.*

QUARTANÆ TYPO MEDICANDO.

NI *medicas adhibere manus curemus & herbas.*] in veteri libro ſcriptum: *diſcamus & herbas.* ſic etiam margines quarundam editionum: nihil tamen opus movendum. Falſus autem eſt Mercurialis, qui quartanam, veterum zerzeram eſſe putaverit. nulla veterum zerzera, quam Lucilii & Plauti teſtimonio palam adducit Libro V. cap. XI. med. pract. In Lucilii verſu *querquera*, non *zerzera* legitur.

Querquera conſequitur febris capitiſque dolores

κέρκαρον à tremore & rigore Græci vocarunt, unde *querqueram* Latini. Gloſſæ: *quercera*, κέρκαρος: aliæ: *querquera*, πεπυρετῶς. καρκαίρειν Græcis eſt cum ſonitu tremere & jactari, quod accidit febricitantibus. Homerus Iliad. υ. κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν ὀρνυμένων ἄμυδις. Idem Lucilius altero verſu: *Jactans me ut febris querquera.* Apulejus etiam in ea voce quibuſdam editionibus exhibetur inemendatus: Apolog. *teſta ad teſtamentum, cancer ad ulcera, alga ad quercaram.* rectè *ad querqueram*, doctiſſimi viri repoſuerunt, vel *querceram*, nam *quercera*, pro *querquera*, ut *arcus* & *arquus*, *anticum* & *antiquum*, in veteribus membranis. Sic *quercera* appellatur ab Agellio libro XX. cap. I. noct. Atticarum. Plautus etiam malè à Mercuriale productus, *querqueræ*, non *zerzeræ* meminit. In fragmentis:

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tuſſis, febris querquera.

gravis ac dura febris. Perperam ſunt illi, qui *querqueram* à quercu dictam voluere. Melius à Græco derivat

vat Santra, quemadmodum annotavit Festus.

Allia non pudeat terno cum cimice trita,

Et diluta mero mediis haurire diebus.] A Sereno dissentit in hoc consilio Dioscorides, qui cimices cavis fabarum inclusos, & ante febrium significationes septenos devorandos, quartanæ pellendæ præscribit. Ejus verba περὶ κόρεων libro secundo, ex veteri codice meo malè legebantur, κόρεις οἱ ἀπὸ κλίνης ἐντιθέμενοι βρώμασι μετὰ κυάμων τὸν ἀριθμὸν ζ´. καὶ περὶ τῆς ἐπισημασίας, ὠφελοῦσι τοὺς τεταρταΐζοντας. libri meliores optimam vocem inserendam exhibuerunt, καὶ καταπινόμενοι πρὸ τῆς ἐπισημασίας, &c. quomodo legendum & à Plinio docemur in hæc verba libro XXIX. capite quarto: *cætera quæ de iis* (cimicibus) *tradunt, vomicæ & quartanarum remedia, aliorumque morborum, quanquam ovo aut cera aut faba inclusos censeant devorandos, falsa nec referenda arbitror.*

Quatuor ut duri jungantur scrupula Bacchi.] *quatuor ut puri,* legit ora Stephani. Plinius *ex vino* simpliciter, sed alio quoque remedio. libro XXVIII. cap. XVI. *modestiores jecur felis decrescente luna occisæ inveteratum sale, ex vino bibendum ante accessiones quartanæ dixêre.*

Sume tribus digitis apprensum semen anethi.] Placet emendandum: *apprensum semen anisi.* Sic contra veterum auctoritatem desertim legit avitus. Plinius eandem lectionem corroborat libro XX. cap. XVII. extremo: *Tlepolemus ad quartanas trinis digitis seminis anisi & fœniculi usus est, in aceto & mellis cyatho uno.* etiam alibi notamus, *anisi* pro *anethi* scriptum.

Mœonidæ Iliados quartum suppone timenti] De vi versuum Homericorum, notavimus ἐν τοῖς παραλειπομένοις.

Aut leporis trepidi diluta coagula trade. Ille Plinius de medicina magorum: *leporis coagulum ante accessionem quartanæ propinant.*

Prodest

Prodest & potus, sed mulsus Doridis humor.] Non ita legendum, sed ut alii, *vel mulsus Doridis humor*, totusque versus ex antiquis reconcinnandus:

Prodest vel potus, vel mulsus Doridos humor.

& ita Barthio visum. *mulsus Doridos humor* est θαλασσόμελι. *Doridos* pro *Doridis*, ut apud Claudianum, conf. Mallii. *assiduo cum Dorida vicerit usu.* *Doridos* etiam exhibuit avitus. A Virgilio quoque *Doris* pro aqua marina ponitur, ecloga decima:

Doris amara suam non intermisceat undam.

Doris amara, id est, aqua marina salsa: nam salsum amarum, quæ duo sunt aliàs diversa, ut πικρὸν & ἁλυκὸν apud Græcos.

Jurantes ludum Veneris munusque petendum.] *Icetidas medicus, quartanas coitu finiri, incipientibus duntaxat menstruis spopondit.* autor est Plinius libro XXVIII. cap. VII.

Sed prius est, oleo partus fervescere ranæ] Id est, melius est, ut aliàs observamus.

In triviis, illoque artus perducere succo.] Malè legit ora Stephani: *Ex triviis*, &c. Plinius XXXII. cap. X. *ranæ vero in trivio decoctæ oleo abjectis carnibus, perunctos liberant quartanis.* sed illud *ex triviis* omnino glossam olet, neque aliter accipiendum.

TERTIANÆ TYPO MEDICANDO.

Puniciæque indes pelli, colloque ligabis.] Indes malicorio, τῷ σιδίῳ. *pellem puniceam* non omnem colore dixit, sed eam, quæ ex malo Punico, quam malicorium vocabant. Græci quoque σίδια vocant, unde *psidia* Latini medici. Dioscorides libro primo, cap. supra centesimum quinquagesimo & quarto: καὶ τὰ

λέπη

λέπη δὲ τὸ ῥόας ἅ τινες σίδια καλοῦσι. &c. Totus hic in ſuperſtitione cubat Serenus.

Pulegii ramus lanæ velatus amictu

Tempore ſuſpecto medicos præbebit odores.] *Tempore ſuſpecto*, hoc eſt, ante acceſſionem: quo etiam Xenocrates apud Plinium lib. XX. cap. XIV. pulegii ramum lana involutum, in tertianis olfactandum dari, aut ſtragulis ſubjici, & ita collocari ægrum inter remedia, tradidit. Talia remedia paſſim à ſuperſtitioſis adhibebantur. Auctor incertus de virtutibus herbarum, ad tertianas: *Pulegii ramulos tres lanâ involutos odoret ante acceſſionem. Quod ſi quis coronam pulegii in capite habuerit, dolorem ſedat.* hoc eſt, quod ſuprà Serenus: *Pulegiumve potens unâ ſuper aure locabis.* Ejuſmodi remedia fuêre quaſi ſtemmata, καὶ περιειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ. Interque φυσικὰ περιάπτα numerantur à Tralliano lib. I. cap. XV. ὡς φυσικῶς δρᾶν δυνάμενα. Suetonius in Galbâ: *Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, & unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hiſpaniæ fruſtrà diu oppugnatum illitis demum galbano facibus ſuccenderit: alii, quod in diuturna valetudine galbeo, id eſt, remediis lanâ involutis aſſiduè uteretur.* Ubi perperam ſunt quidam eruditi, qui τὸ *galbeo* ſuſpectum habent. Gloſſæ: *galbucalbeum*: (legendum puto, *galbeum, calbeum*, κόσμος, κόσμια) *Galbeum* & *calbeum*, armillæ fuêre triumphantium. Ex Græco κάρπιον factum eſt Latinorum *carpeum*, unde *calbeum* & *galbeum*: Vide Feſtum in *calbei*. Cato libro VII. Orig. inter ornamenta muliebria recenſet: *coronas aureas, ruſſeas faſcias, galbeos, pelles, redimicula. Galbei* igitur armillæ, & *galbeum*, armilla: quâ in diuturnâ valetudine remedii ſimul & ornatus cauſſa Galba utebatur. Gloſſæ medicæ *galbeos* exponunt ψηφίδας. Atque ψηφίδες à Tralliano numerantur inter φυσικὰ περίαπτα:

quales

Digitized by Google

quales aureæ laminæ & armillæ ſuperſtitioſorum.

QUOTIDIANÆ TYPO MEDICANDO.

NEc non oſſa juvant ſeptis inventa domorum] Sic aliæ, quod ſciam, editiones, quas cum exaratis ſuis doctiſſimi viri contulêrunt. In avito libro planè ſcriptum: *ſeptis inventa deorum.* Quod non placet arrogandum. *ſepta domorum* ſunt περίβολοι τῶν οἴκων, ſive templorum. nam τοὺς οἴκους Græci de templis dicebant, ut *domos* Latini. Euſebius eccleſ. hiſtor. libro VIII. cap. ultimo) in interpretatione diplomatum Cæſareorum: ἵνα αὖθις ὦσι χριστιανοί. καὶ τοὺς οἴκους, ἐν οἷς συνήγοντο, συνθῶσιν. Zeno Veronenſis: *conventus quidem eccleſiarum, ſive templi, quos ad ſecretam ſacramentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt, conſuetudo noſtra vel domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel templum.* nihil igitur in Sereno mutandum. nam *ſepta domorum* verè ſcripſit, quamvis *deorum* alii reſcripſerint. Apulejus mileſia XI. *ædibuſque conductis intra conſeptum templi, larem temporarium mihi conſtituo.* intra conſeptum templi, περίβολον τοῦ οἴκου. Gloſſæ: περίβολος, *ſeptum, conſeptum.* Arnobius libro VI. *conditi ſcribuntur Dairas & Immarus fratres in Eleuſino conſepto, quod civitati ſubjectum eſt.* ubi perperam eſt vir doctus, qui *conſeptum Eleuſinum,* de templo exponit. aliud templum, aliud templi conſeptum. Pollux: οἱ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη, καὶ ἱερά. καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος, περίβολος. In Græco Clementis, unde tranſtulit Arnobius, ſcriptum erat: ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει, quod non de ipſo templo, ſed ejus conſepto interpretandum.

Digitized by Google

Convenit hæc tereti pendentia ſubdere collo.] oſſa pro amuletis etiam collo appendebant, ut quibus vim magicam ineſſe crederent. Paſſim exempla ſunt apud Plinium & Marcellum Empiricum.

Multaque præterea verborum monſtra ſilebo] *moſtra ſilebo*, liber avitus. hoc frequens in aliis autorum membranis.

Nam febrem vario depelli carmine poſſe,
Vana ſuperſtitio credit, tremulæque parentes.] Scribo volentibus avitis membranis:

Nam febrem magico depelli carmine poſſe,

múgico ſcriptum erat in iis ſchedis, unde *magico*, puero patet reſcribendum. *magica carmina*, quæ ignotis arcaniſque effectibus conſtant, qualia vulgo febribus adhibebantur expellendis. omne enim, quod occulta vi fit, antiqui *magicum* vocavêre. Sibyllina oracula libro octavo, de Adriano principe curioſiſſimo:

Χρυσὸν μὲν πάμπλειστον ἔχων, καὶ ἄργυρον ἐχθρὸν
Πλείονα συλλέξας, καὶ γυμνώσας ἀναλύσει.
Καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα μεθέξει.

Marcellus Empiricus in carmine medicamentorum libro ſubſcripto: ——— *namque eſt res certa ſaluti*
Carmen ab occultis tribuens miracula verbis.

HEMITRITÆO DEPELLENDO.

Mortiferum magis eſt, quod Græcis ἡμιτριταῖον
Vulgatur verbis: hoc noſtra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.]

Omnes antiqui ſcriptores, quod Græci vocabant ἡμιτριταῖον, non per *ſemitertianam*, ut poſteriores, expreſſerunt; ſed eandem vocem retinuerunt. Nec enim

Digitized by Google

enim per semitertianam, vel mediam tertianam ἡμιτερταῖ@ πυρετὸς exponi debet aut potest, ut qui major & periculosior sit ipsa tertiana. Celsus libro III. cap. VIII. *Aut ubi id genus tertianæ est, quod hemitritæon medici appellant, magna curâ opus est, ne id fallat. Habet enim plerunque frequentiores accessiones decessionesque, ut aliud morbi genus videri possit, porrigitque febris inter horas viginti quatuor & triginta sex, ut quod idem est, non idem esse videatur.* Idem ejusdem libri capite tertio: *Tertianarum verò duo genera sunt. alterum eodem modo, quo quartana & incipiens & desinens, illo tantum interposito discrimine, quod unum diem præstat integrum, tertio redit. Alterum longè perniciosius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo & quadraginta horis ferè sex & triginta per accessionem occupat, interdum etiam vel minus vel plus, neque ex toto in remissione desistit, sed tantum levius est. Id genus plerique medici hemitritæon appellant.* Unde etiam Galenus libro I. epid. comm. III. miratur, cur veteres huic febri nomen ἡμιτερταίω impofuerint; quos ut excuset, quatuor ejus nominis causas adjungit: quarum prima est, quod febris tertiana duas conditiones habet, scilicet, tertia quaque die invadere, & in febricitationem desinere: harum duarum conditionum una tantum inest hemitritæo, scilicet invasio tertia quaque die, quasi cum ex duabus conditionibus unam tantum habeat, jure dici possit semitertiana, sive dimidia tertiana. hæc nobis ceteris est potior, quas lubens prætereo. hæmitritæi mentio frequens occurrit apud Martialem.

Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra: Ad hunc nimirum modum & figuram chartæ inscribes *Abracadabra*, & collo annectes, dietim ordine retrogrado minuens.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A.

nos de ea medicina pluribus ἐν τοῖς παραλειπομένοις ad hunc autorem. Parile quid ad profluvium narium sedandum à Marcello præscribitur capite decimo, his ce verbis, quæ repetendo subter diminuuntur: SICYCUMA, CUCUMA, UCUMA, CUMA, UMA, MA. A. Vide & alia Hebræorum ex Rabbi Hama, lib. speculationis.

Coralium atque crocum corio connectito felis.] *Curulium* liber avitus, gemino loco: scribe *curalium* κουράλιον. Ovidius: *Sic & curalium, quo primo contigit auras Tempore durescit.* ———
vulgo vitiose, *coralium*. Dionysius:

Πάντη γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρυθροῦ κουραλίοιο.

Dioscorides κοράλλιον habet, more recentiorum. Hesychius: κουράλλιον, λίθος. θαλάσσιος, ἐρυθρός. Glossæ: κουράλλιον, *margella*. Glossæ medicæ: κοράλλιον, λιτόδενδρον. Dioscorid. τὸ δὲ κοράλλιον ὃ ἔνιοι λιθόδενδρον ἐκάλεσαν, δοκεῖ μὲν εἶναι φυτὸν ἐνάλιον, στερροποιεῖται δὲ ὅταν ἐκ τοῦ βυθοῦ ἑλκυσθῇ, ἔξαιον γινόμενον ὥσπερ ὑπὸ τοῦ περικεχυμένου ἡμῖν ἀέρος. Lege Oribasium, Al. Trallianum & Æginetam.

Ne dubites illis virides miscere smaragdos,] *nec dubites,* aliæ vulgatarum editionum. Plinius de smaragdo,

ragdo, libro XXXVIII. cap. V. *nullius coloris aspectus jucundior est. nam herbas quoque virentes frondesque avidè spectamus. Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.* nihil tam viride, quod smaragdo comparatum, vivere dici queat: male legitur, *nihil omnino viridius.* rectè Salmasius emendavit, *nihil omnino viridis.* Græci ποάζειν τῷ χρώματι & πρασίζειν dicunt. σμάραγδος, λίθος πράσινος, χλωρίζων καὶ πᾶσαν φύσιν κατὰ τὴν χρόαν ὑπερβάλλων. *prasinam gemmam* passim vocat Anastasius, id est, latè virentem. Epiphanius: λίθος σμάραγδος, οὗτος καλεῖται καὶ πράσινος.

Talia languenti conducent vincula collo.] Gemmas olim pro amuleto gestabant. Cujus rei testis est locupletissimus sive Orpheus, sive quis alius autor libelli περὶ λίθων, qui sub ipsius nomine circumfertur. Vide Aristotelem de Lapidibus, & Auctorem libelli de incantatione. Dionysius ἱερόεσσαν ἴασπιν esse canit hoc versu:

Ἐχθρὴν ἐμπνεύσησι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

nos alibi multa de earum potentia & felicitate narrabimus.

Lethalesque abigent (miranda potentia) morbos.] Perperam in avito scriptum:

Lethalesque abiget miranda potentia morbos.

miranda potentia, θαυμαστικὸν est. ut illud:

Doctis, Jupiter, & laboriosis!

Philemo apud Athenæum:

Σὲ γὰρ λέγουσι πρῶτον αὐτὸ τοῦτ' ἰδεῖν
Δημοτικὸν, ὦ Ζεῦ, πρᾶγμα καὶ σωτήριον.

Digitized by Google

FRACTURIS ET LUXIS SANANDIS.

Sed fortuna potens omen convertat in hostes.] Veteres rem infelicem & abominandam detestaturi, quemadmodum amicis procul abesse vovebant, ita suis hostibus imprecabantur: HOSTIBUS MEIS ID EVENIAT. Sic laudanti delicias Antisthenes: HOSTIUM, inquit, FILII DELICIENTUR, Ἐχθρῶν παῖδες, ἔφη τρυφήσειαν, ut habet Laërtius libro VII. Æschylus Prometheo:

Τοιᾶδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις.

Theognis:

Εἴη μοὶ τὰ μὲν αὐτὸν ἔχειν τὰ δὲ πολλ' ἐπιδοῦναι
Χρήματα, τῶν ἐχθρῶν τοῖσι φίλοισιν ἔχειν.

Achilles Tatius libro IV. ἐρωτ. τοιαῦτά σοι, ἔφη, γένοιτο ἀτυχήματα οἷά μοι κομίζειν παρεῖ. Ovidius:

Hostibus eveniant convivia talia nostris.

libro III. cap. X. amorum:

Eveniat nostris hostibus ille pudor.

Item ad Liviam:

Hostibus eveniat longa senecta meis.

Horatius:

Hostium uxores puerique cœcos
Sentiant motus Orientis Hœdi, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Tacitus I. Historiar. de Antonio: *conversus ad signa & bellorum duces, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam injicerent, orabat.*

Aut veteri Baccho capræ fimus inde petulcæ,
Hoc aperit clausum, trahit hærens, sanat apertum.]

Alterum versum liber avitus non habet: videtur autem

Digitized by Google

tem à sequioris ætatis manu adscriptus. eum tamen librum meum tanti non æstimo, ut sine cæterorum auctoritate quicquid Sereno derogem, aut versus ejiciam.

Ex olei necti vestis debebit arachnes.] *Vestis arachnes* de telâ venustè dictum. sic *vieta aranei vestis*, habetur apud Lucretium. Sic alibi *vestem ovi* de testa Marcellus, & *vestem allii*, de tunica exteriore Plinius Valerianus. Marcellus Empiricus cap. I. *Fracto capiti tela aranei ex oleo & aceto imposita non recedit nisi sanaverit.* Plinius Valerianus libro I. cap. II. iisdem fere verbis: *fracto capiti aranea tela imposita ex oleo & aceto non recedit nisi sanato capite.* sic veteres illi loquebantur, *aranea tela*, pro *araneæ tela*. nam *araneam telam*, casses ipsos araneæ dixêre. distinguebant autem inter *aragneam* & *araneam*, ut alterum telam, alterum bestiolam ipsam designaret; ut habet Isidorus in differentiis: ideo *telam* addidit ille Plinius. Idem Marcellus capite XXXIV. *incussos articulos aranearum telæ cum oleo impositæ saluberrimè sanant.* Exemplum habes apud Petronium Satyrico: *Giton longè blandior quàm ego, primùm araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, coartavit.* Vestis aranearum, à Græcis vocatur ὄρδημα, ἡ πολύπη τῶν ἐρίων. item ὀρδικὸν, χιτωνίσκος, melius & simplicius ὕφος, ut apud Dioscoridem libro II. cap. LXVIII. περὶ Ἀράχνης. τὸ δὲ ὕφος αὐτῆς ἐπιτιθέμενον αἷμα ἵστησι, καὶ ἀφλέγμαντα τηρεῖ τὰ ἐπιπόλαια τῶν ἑλκῶν.

Urere fœmineos crines ac jungere sevum Congruet] Marcellus: *articulis luxatis sevum pecudis cujuscunque cum cinere de capillo muliebri facto medetur.*

Aut si conclusum servavit tibia vulnus] Multa in veteri avito nobis exhibentur, quæ in aliis membranis aut emendata sunt, aut ignorantur. ut hoc versu, qui rectus legitur in omnibus exaratis & excusis, scriptum erat:

Aut si confusum servarunt flagmina vulnus.
quod interpretis eget, nec temerè videtur exposi posse. Unde conjicio corrigendum:

Aut si conclusum servarunt flemina vulnus.
quid *flemina* sint, nos optimè Festus docet hisce verbis: *flemina, quum labore viæ sanguis defluit circa talos, & tumorem facit. flagmina* scriptum pro *flegmina*, unde *flemina*, certò patet legendum. Glossarium: ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνων. inde φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια Græcis medicis vocantur, quæ in tumorem sublata sunt. ejusmodi *flemina*, quæ labore viæ suboriuntur, ab Hippocrate vocantur τὰ κίδματα. Glossæ medicæ: κίδματα, φλημίλια. In Absyrti libro de equis, etiam φλημίλια leguntur. Adfert Erotianus ex Hippocrate, κίδματα appellari τὰς χρονίας περὶ τὰ ἄρθρα διαθέσεις, sive vetustas in articulis affectiones. aliis tamen *flemina* & κίδματα confunduntur.

NERVIS INCISIS, ET DOLENTIBUS ATQUE CONTRACTIS.

HAud quisquam credet disjectos vulnere nervos
Ad solitum rursus revocari posse vigorem.] Scribe fide meliorum, *desectos vulnere nervos.* in ipso lemmate legitur: NERVIS INCISIS.

Sed prodest terræ lumbricos indere tritos,
Queis vetus & rancens sociari axungia debet.] ineptissimè liber Gryphianus:

Queis vetus & ranæ sociarii axungia debet.
Marcellus capite penultimo: *vermes terrenos, aut exustos aut siccatos contere cum axungia vetere.* in multis remediis nervorum ea præscribitur.

Con-

Digitized by Google

Convenit & pelagi calidis perfundier undis.] Dioscorides περὶ θαλασσίου ὕδατος. θερμὸν δὲ καταντλούμενον, ἐπισπᾶται καὶ διαφορεῖ. ἁρμόζον τοῖς περὶ νεῦρα πάθεσι καὶ χιμέτλοις πρὸ τοῦ ἑλκωθῆναι.

Quo poteris potu recreare rigentia membra.] Non *fotu*, quod in ora Gryphiani codicis impressum. & perperam sunt, qui τὸ *potu* ad compositionem referunt: non enim eo potu membra recreanda, sed potu rigentia debent accipi, quod multos egit transversos. ex potu enim rigor & vitium nervorum: nam nervis, quibus πᾶν σῶμα συναρμολογεῖται, inimicissimum est vinum nimium potum. Itaque temulentorum & οἰνοφλύγων, fatales sunt morbi nervorum, paralyses, arthritides, alii. Græci latissimo nomine μαλακίαν σώματος & ἔκλυσιν intelligunt; ut habes in Basilii homilia κατὰ μεθυόντων.

ÆGRIS SOMNO ADSCISCENDO.

NE prosint placidi cœlestia munera somni.] Achilles Tatius libro IV. ἐρωτ. ὕπνος γὰρ πάντων νοσημάτων φάρμακον. Plura in eam rem congessere poëtæ.

Proderit & magnum capiti substernere fulcrum.] Sic ineptissimè reposuerunt, & depravarunt antiquam lectionem. Scriptum enim erat in libris melioribus:

Proderit, ut magi, capræ substernere fella.

in avito, qui eandem ferè lectionem repræsentavit,

Proderit, at magnum, capræ substernere fella.

at pro *ut*, in illo libro non semel exaratum, *magum* etiam in ceteris vetustis scriptum, unde malè *magnum* fecere correctores. Versus ut legendus erit, etiam somniculoso patebit, modo Plinio consenserit, qui libro vigesimo octavo, capite decimo nono: *magi*

felle capræ ſcarificatæ duntaxat illito oculis, vel ſub pulvino poſito, ſomnum allici dicunt. nihil igitur refingendum, quamvis in aliis de genere eodem mendoſis exhibeatur:

Proderit & morion capitis ſubſternere fulcro.

altera mandragoræ ſpecies, quam *morion* vocat Dioſcorides, hoc magico remedio non præſcribitur. In Dioſcoride male νώριον pro μώριον legitur: περὶ μανδραγόρου: τοῦ δὲ ἄῤῥενος καὶ λευκοῦ, ὃν ἔνιοι νώριον ἐκάλεσαν, &c. lege μώριον ex eodem capite, & Plinio de mandragora: *album hoc alii arſen, alii morion, alii hypophlomon vocant.*

Palladiis itidem ſuccis, quos flore roſarum
Jungis & immiſces madidum tritumque papaver.

Placet antiqua lectio:

Palladios itidem ſuccos cum flore roſarum
Jungis, & immiſces madidum tritumque papaver.

Nec non mandragoræ guſtu ſopor additur altus.] eſt enim mandragoras θανάσιμον φάρμακον καὶ ὑπνωτικόν, cujus inter venenum & ſoporem media vis eſt. Vide quæ notavimus ad Cornel. Nepotis appendicem, & Frontinum. In libro Sereni corruptiſſimo perperam hic verſus exhibetur:

Nec non mandragoræ guſtu ſopor additur albi.

τοῦ λευκοῦ μανδραγόρου quod non eſt εἰδικῶς hîc arrogandum: etiam ipſe Serenus obſtat ſequenti capite:

Ut conjungatur læto ſopor altus acerbo.

altus ſopor eſt θανάσιμος, qui opponitur naturali: talis plerunque ſolet ex mandragoræ uſu ſuboriri. Dioſcorides περὶ μανδραγόρου: καθεύδει γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἐν ᾧ περ ἂν φάγοι σχήματι, ἀναισθανόμενος οὐδενὸς ἐπὶ ὥρας γ΄ ἢ δ΄. ἀφ᾽ οὗ περ ἂν προσενέγκηται. Plinius libro XXV. capite XIII. *Vis ſomnifica pro viribus bibentium. media potio cyathi unius.* & antè: *potu quidem largiore etiam moriuntur.* igitur *altus ſopor* omnino retinendum: Apulejus

Digitized by Google

lejus V. metamorph. *nox erat, & maritus aderat, primisque Veneris præliis velitatus in altum soporem descenderat.* Ovidius VII. met.

——— *adhuc regem sopor altus habebat.*

Idem alibi:

Sunt quoque quæ faciunt altos medicamina somnos,
Vinctaque Lethæa lumina morte premunt.

LETARGIÆ EXPELLENDÆ.

Denique nonnunquam somno sic membra gravantur.] *Gravantur*, opprimuntur. Livius libro XXV. *gravatis omnibus vino somnoque*: id est, oppressis & quasi sepultis, ut ille loquitur. Hesychius: καταφορεῖν, ὑπνοῦν, malè: lego καταφορεῖν, ὕπνον. unde καταφέρεσθαι ὕπνῳ, *somno premi*, vel *gravari*. ἄγρυπνον κῶμα Græci medici vocarunt hunc somnum, unde τὸ κῶμα Linacer *marcorem*, vertit, Erotianus verò interpretatur τὸν ὕπνον, καὶ ὑπὸ κοίμημα, & κωματώδεις, τοὺς μετά τινος νωθρείας ἐν καταφορᾷ ὄντας. Vide Galenum initio comment. I. εἰς τὸ προῤῥητ. Celsus libro III. cap XX. de Lethargo: *in hoc marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas* (λήθαργον *Græcè nominant*) *atque id quoque genus acutum est, nisi succurritur, celeriter jugulat.* Poëtæ etiam *veternum* vocarunt: unde & *veternus* Virgilio sumitur pro lethargo. Plautus à Servio laudatus: *Opus facere nimio quam dormire mavolo, veternum metuo.*

Quo nidore gravem depellent lumina somnum.] Celsus ubi suprà: *hos ægros quidam subinde excitare nituntur, admotis his per quæ sternutamenta evocantur, & his, quæ odore fœdo movent, qualis est pix cruda, lana succida, piper, veratrum, castoreum, acetum, allium, cepa, juxtà etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut*

cornu

Digitized by Google

cornu cervinum : Si id non est, quodlibet aliud. Hæc enim cum comburuntur, odorem fœdum movent. eum *odorem fœdum*, *nidorem* vocat Serenus. Sic alibi Plinius cap. X. lib. XXVIII. *carnem recentem hœdorum pilo suffiunt, eodemque nidore fugant serpentes.* κνίσσα Græci vocant nidorem, fumum pinguedinis, qualem dant tostæ cornua capræ. In Ithyphallico: *nidorem puto prosecuta fumi.* verbum sacrificum. Virgilius:

Nidoremque ambusta dedit ——

Servius: *nidorem, putorem.* malè *odorem* ad Arnobium corrigit Elmenhorstius. Glossæ: κνίσσα, *nidor.* Arnobius: *venerabiles cnissas carbonibus excitamus exstinctis:* Theodoretus advers. Græcos libro septimo: σφόδρα γὰρ αὐτοὺς χαίρειν οἱ ποιηταὶ φασὶ τῇ λοιβῇ καὶ τῇ κνίσῃ. inde κνισσᾶν ἀγυιὰς optimis poëtis: de lautis sacrificiis ita loquebantur, unde jocus de iisdem & cantoribus; *eorum jus esse, ut sine fumo & nidoribus sacrificent*, quia τὸ πῦρ δυσωχίας σημεῖον.

Aut Veneris labrum quæ dicitur herba, bibetur] δίψακος. Veneris labrum, ut Veneris capillus, umbilicus, & alia. Sic etiam gemmas vocabant: ut Ἀδάδου ὀφθαλμὸς, νεφρὸς & δάκτυλος. Adadus autem Syrorum Deus. Vide Hesychium.

Conveniunt acidis euphorbia mista fluentis] De euphorbia vide sis Dioscor. lib. III. cap. LXXXVIII. Plin. lib. XXV. cap. VII. Serap. cap. CCCLIII. *acidis fluentis*, ut suprà: *acido fluore*, de aceto.

Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore Sanavit.

COMITIALI MORBO:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusant.] Quidam librorum: *Quod fieri nobis suffragia justa recusent.*

Sed

Sed altera lectio longè melior. Ad veterem ritum alludit, quo concidente epileptico, comitia interrumpebantur. Cato: *quod comitia prohibere solet, nec id quidem mihi vitium fuit.* Ulpianus l. 1. ff. de auct. tutor. *neque enim præsentia corporis sufficit ad auctoritatem, ut si somno aut morbo comitiali occupatus tacuisset.* Inde *sonticum morbum* vocarunt XII. Tab comitialem, τὴν ἱερὰν νόσον. Glossæ: *sonticus morbus, comitialis.* aliæ: ἱερὰ νόσος, *sonticus morbus.* Plinius de Gagate: *deprehendit sonticum morbum & virginitatem suffitus.* Alio sensu θανάσιμον νόσον, morbum sonticum vocabant. Festus: *sontica causa dicitur à morbo sontico, qui quid gerendum agere non permittit. Cato de regis Attali vectigalibus.* mox citat verba. in epitoma Pauli: *sonticum, justum.* Isidori Glossæ: *sonticus verax.* Græcorum: *sonticus,* ἀληθής. Alii *comitialem* exponunt, quod in comitiis eo correpti maximè infestarentur, & detegerentur. hanc etiam rationem medicorum filii maximè amplexantur.

Sæpe etenim membris atro languore caducis] Habetur in aliis: *acri languore caducis.* Immo me judice legendum: *sacro languore caducis.* ἱερὰν νόσον & μεγάλην ex inde Græci vocarunt. ἱερὸν enim omne *magnum* dixerunt, ut ἱερὸν ἰχθὺν, ἱερὰν θάλασσαν, ἱερὸν ἦλιον Homerus. ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο. & ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο, apud eundem. Sic ἱερὸν ὀστοῦν Græci medici nominarunt, quod *sacrum* Latini, ob ejus magnitudinem. Celsus: inter *notissimos morbos est etiam is, qui comitialis vel major nominatur.* quarè *sacro languore caducis,* indubiè rescribendum. & propritim *caducis*: sic Theophrasti librum περὶ ἐπιλήψεως, *de Caducis* in apologia inscripsit Apulejus. Glossæ veteres novi Testamenti: *lunaticos vulgus vocat, quod per lunæ cursus comitentur eos insidiæ dæmonum: hæc passio caduca dicitur & larvatio: cujus tanta vis est, ut homo valens in terram conci-*

Digitized by Google

concidat, ſpumetque. Celſus de epileptico: *homo ſubito concidit, ex ore ſpumæ moventur, deinde interpoſito tempore ad ſe redit, & per ſe ipſum conſurgit.* Inde quidam veterum philoſophorum, cauſam ἐπιληψίας naturalem ad lunam ſimpliciter referebant. Lucianus, qui Toxari, de quodam, qui eodem ſubinde affligebatur morbo, ἐλέγετο δὲ καταπίπτειν πρὸς τὴν σελήνην αὐξανομένην: *ad creſcentem concidere lunam dicebatur.* Alii etiam, ut Theophylactus, δαιμονιῶντας exponunt, ejuſque cauſam plenilunio, quo abuti volunt diabolum, qui tum invadit miſeros, aſſignant. Gloſſæ medicæ doctiſſimè *comitialem* interpretantur σεληνιαζόμενον. Sic Trallianus cum Sereno σεληνιαζομένους, *comitiales* eſſe vult, eundemque morbum cum ſacro. Inde σεληνιακὸν antiqui medici vocarunt illud amuletum, quod puerorum collo adverſus hunc morbum appendebant. Gloſſæ: σεληνιακὸν, σεληνίς. Heſychius ΣΕΛΗΝΙΣ, φυλακτήριον, ὅπερ ἐγκρεμῶνται τοῖς παιδίοις. & veriſſimè τοῖς παιδίοις. eſt enim πάθος παιδίων, ut ab Hippocrate vocatur in libro de aëre, locis & aquis. Ariſtoteles ſectione XXXI. probl. XXVI. diſertim refert, quod homo ἢ μόνον, ἢ μάλιστα διαστρέφεται, ὅτι μόνον ἢ μάλιστα ληπτὸν ἐν τῇ νηπιότητι γίνεται.

Prodeſt cum veteri Baccho fel vulturis ampli,] malim: *fel vulturis atri.*

Præterea pluvias, hominis quas calva ſupina Excepit.] Ex præcepto Artemonis, quod allegat Plinius lib. XXVIII. cap. I. *Artemon calvaria interfecti, neque cremati propinavit aquam è fonte noctu comitialibus morbis.* Vide ſis Fernel. libro II. cap. XVI. de abd. rer. cauſſ.

RE-

REGIO MORBO PELLENDO.

Molliter hic quoniam celsâ curatur in aula.] Sic quidem pars major librorum, at alii: *celsa curandus in aula.* Celsus de regii morbi curatione: *Per omne verò tempus utendum est exercitatione, frictione, si hyems est, balneo, si æstas, frigidis nationibus, lecto etiam & conclavi cultiore clauso loco uti, ludis, lascivia, per quæ mens exhilaretur. ob quæ regius morbus dictus videtur.*

Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.] μετὰ μελικράτου πινομένη ἰκτερικοῖς βοηθεῖ, ut ait Dioscor. περὶ ἐρυθροδάνου Plinius ad verbum, ut alia: *in medicina urinam ciet, morbum regium sanat ex aqua mulsa.* Olim etiam hic morbus mulso, quod genus potionis in regum delitiis erat, curabatur: proinde regius dictus est. vide Varronem.

Vellera cum vivo suffiri sulphure prodest.] Non, ut mendosissimi:

Vellera cum vino, suffiri sulphure prodest.

sic etiam habet à Stephano curatus.

INFANTIBUS DENTIENTIBUS VEL STRIGE INQUIETATIS.

STRIDENTIBUS membranæ legunt avitæ: Sic etiam Pithœanæ, cæteræque veteres. Rectè tamen emendatores reposuere *DENTIENTIBUS.* Ipse Serenus: *niveis cum dentibus armat.* *STRIGA* tamen pro *STRIGE*, non ineptum est ex iisdem schedis. In veteri Glossario, *striga*, λαιστρυ-

λαιστρυγῶν, καὶ γυνὴ φαρμακὶς exponitur. Festus: *Strigas, ut ait Verrius, Græci σύρνια appellant, quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas velut avertere Græci.* σύρρινται πόμπιν νυκτικόμην στρίγγα τόλαον ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας. Gesnerus putat tres aves diversas, omnes inauspicatas notari illis verbis, quæ apud Festum corrupta sic legit: Σύρνια πομπιούειν νυκτίκομα στρίγγα τ' ὀλοὸν ὄρνιν ἀνώνυμον, ἀκύπυρον τε πνίκα. nempe *syrnium* alibi non nominatum, strigem & pnica, quæ pnix dormientibus suffocare conaretur. Scaliger ex alia sua emendatione: στρίγγ' ἀπόπομπον, νυκτιβόαν, τὴν στρίγγ', ἀπὸ λαῶν ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἔλαυνε. Turnebus ex aliâ XIV. adv. cap. I. στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, στρίγγ' αὐτίκα λαὸν, ὄρνιν ἀνώνυμον ἐνθένδ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας. στρίγγα φθορόλαον. Placet ea correctio, sed non ex toto sufficit. Ego non ambigo restituere: στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὴν στρίγγ' ἀγελαίαν ὄρνιν ἀνώνυμον, ἐνθένδ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας. Et ita quidem Hesychii verba depravata legenda sunt, ut jam alii præceperunt: στριγγὸς, ὁ νυκτικόρακος, νυκτιφοίτου. καλεῖται δὲ καὶ νυκτιβόα. οἱ δὲ καὶ νυκτικόρακα. Vulgo corruptissimè legitur: στρίγλος τὸ εἶδος ὁ κόρακος, νυκτίφοιτον, καλεῖται δὲ καὶ νυκτοβόα: οἱ δὲ καὶ νυκτικόρακα. Græci νυκτιφοίτους obinde *strigas* vocabant, quas *volaticas* Latini. Plinius libro XI. cap. XLIX. *Fabulosum arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse enim in maledictis jam antiquis strigem convenit: sed quæ sit avium, constare non arbitror.* Ovidius VI. fastorum:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes.

Isidorus libro XII. cap. VII. *Strix nocturna avis, habens nomen de sono vocis, Quando enim clamat, stridet. de qua Lucanus: Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur. Hæc avis vulgò Amma dicitur, ab amando parvulos, unde & lac præbere dicitur nascenti-*

Digitized by Google

ſcentibus. Auſonius in techopægnio:

Nota Caledoniis nuribus muliebre ſecus ſtrix.

ubi *ſecus* eſt ſexus, ἀρχαϊκῶς, ut ſæpius apud eundem.

Nudum hominem primum mater natura profudit.] *mundi natura profudit*, libri nonnulli. quod non immutandum.

Inſuper excruciat, niveis quum dentibus armat.] non *ornat*, ut in avito. Lactantius cap. II. de opif. *quibuſdam in ore arma ſunt dentes*. Apulejus VIII. miles. *beſtias armatas dente vel cornu*. & ſæpe ſimiliter alii.

Præterea ſi forte premit ſtrix atra puellos, Avitus: *ſi dente premit*. quod dubiè rectum, & extra fidem aliorum ſcriptorum. Lamias quidem & ſtriges puerorum tortrices opinabantur. Lucilius:

Illo quid fiet Lamia, & Pytho oxyodontes.

mihi tamen religio eſt, alterum amovere. Striges enim venenata ſua ubera infantibus præbere, exiſtimabant, atque ita perimere ſpecie pietatis. Inde στρὶξ in vetuſtiſſimo Gloſſario Græco παιδοφιλοτέρα κέρχνη exponitur. Tales fuerunt Acco, Gilo de qua Nicephorus lib. XIIX. hiſt. cap. IX. & illa Gello, de quâ proverbium: Γελλὼ παιδοφιλοτέρα. *Atram* etiam venuſtè ſtrigem dixit. *maſcam* Longobardi vocant in ſuis legibus. vel *atram*, id eſt, nocentem: Sic *atrum* magis & maleficis eſt θανάσιμον: ſic *atri pulveres*, qui necabant aſſumpti vel affricati, θανάσιμα φάρμακα. vel *atram*, reſpectu albarum, quas *albas nymphas* antiqui vocabant, quæ puerperas cum infantibus ſæpiſſimè in abdita & ſubterranea ſubducebant. Striges autem λαιστρύγονες & antropophagæ, quæ nonnunquam puerulis virulenti quippiam inſtillabant, unde morerentur vel ſtatim, vel tabe paulatim invaleſcente. Interdum & ſanguinem exſugebant ex opinione de Freſaia vel Strigibus, ad quam hic alludit Serenus:

vel mammas infantulis oſtentabant, quaſi eos à fletu lactaturæ. Sic habes in Eſaiæ XXXIV. *nudaverunt Lamiæ mammas ſuas.* Sed altero Sereni verſu mage diſſentit idem avitus:

Bromoſa immulgens fallebribus ubera labbis.

bromoſa pro *viroſa*, veteres dixerunt, obſervante ad Solinum Salmaſio. Iſidorus: *bromoſus, immundus.* Notat Heſychius βρόμον appellari τὸν πόθον εἰς ἔρωτα καὶ ἀφροδίσια οἱ ἔλαφοι. inde *exbromare* pro emundare dixit Apicius. igitur *bromoſa* rectum eſſe poſſet: ſed illud *fallebribus* omnino mendoſum eſt. poſſet tamen *felebribus* ex eo corrigi, idoneo ſenſu & vocabulo. nam *felebre* τὸ θηλάσιμον, θηλατόν. Iſidorus appoſitè *felebrem, adhuc lacte viventem* exponit. Varro: *lupam alumni felarunt olim.* hæc expoſitio verſus iſtius, in aliis membranis aliter comparentis, dari poſſet: ego autem arbitrario jure pro genuino tantum defendam. habet enim aliquid illud ex eo Poëtæ libro X.

——— *teneris immulgens ubera labris.*

Allia præcepit Titini ſententia necti,

Qui veteri claras expreſſit more togatas.] In hiſce verſibus, quà legendis, quà interpretandis, pueriliter hallucinati fuêre doctiſſimi viri: Meurſius alterum emendans:

Qui veneris claras expreſſit amore togatas,

claras togatas exponit adulteras matronas alba toga indutas, additque, Titinium hunc libidine victum eaſdem imitatum, ut qui Tiberii Cæſaris adulterio nobilitatus eſſet, narrante Plinio libro XXIX. cap. I. Cujus interpretationi hac quidem in parte non obſequimur. Non enim, ſi Vectius Valens Meſſalinæ Claudii (metu, opinor, magis quàm animi cauſa) libidinem præſtitit, quod nec Tacito omiſſum, propterea tam proſtituti pudoris fuiſſe exiſtimandus, ut

more-

Digitized by Google

meretricio habitu incederet. Ego potius cum Barthio & Gronovio, de comœdiis togatis, quam matronis acceperim hunc versum; nec enim alius Titinius, quàm comicus ille antiquus. Veteres etiam *togatas* dixerunt de fabulis Romanis, vel Romano more & habitu in scenam introductis. Horatius in Arte:

Vel qui prætextas, vel qui docuêre togatas.

ubi perperam est, vir ingeniosus, qui fabulas tabernarias & plebejas exponi putat. Juvenalis Sat. I. *recitaverit ille togatas.* Prior etiam Sereni versus non est immutandus, quamvis aliter olim senserim legi debere:

Allia præcepit Titini sententia Vecti,

quibusdam in libris:

Allia præcepit tundi sententia Vecti.

quomodo in avito & Gryphiano scriptum. Nec enim *tundi* voluit *allia* Titinius, sed instar sertorum & corollarum *necti*, contra invasionem strigum. Paris medicinæ contra maleficia multa narrantur à Plinio & Marcello. Suprà Serenus:

Vel quæ septenis censentur gramina nodis
Utiliter nectis, vel corno ex arbore sertum.

COMBUSTURIS IGNE, VEL FRIGORE.

Illa quoque usta putes, quæ sunt nive læsa rigente.] Sic habes apud Lucanum libro V. *Urebant montana nives.* Glossæ Græco-latinæ: χιμεῦσαι, *frigore combusta.*

Aut vivam ex oleo veteri componito calcem.] membranæ: *ex oleo lini componito calcem.* Dioscorides περὶ ἀσβέστου: δύναμιν δὲ ἔχει πᾶσα κοινῶς ἄσβεστος πυρωτικὴν, δηκτικὴν, καυστικὴν, ἐσχαρωτικήν. μιγνυμένη δέ πως ἑτέροις ὡς στέατι ἢ ἐλαίῳ, γίνεται πεπτικὴ, μαλακτικὴ, διασκεδαστικὴ, κατουλωτική.

Digitized by Google

VENENIS PROHIBENDIS.

UT tutus fias infestæ fraude novercæ.] Nescio, cur illud *infestæ* quidam in *injustæ* mutaverint? Alio sensu *injusta* noverca dicitur apud Virgilium, alio *infesta* apud Samonicum. *infesta*, crudelis & funesta. Cestius Pius apud Senecam Controv. lib. IV. *Sed adhuc crudelis & pertinax noverca, post omnia devicta nihilominus sævit.* Seneca Hippol. act. V. *funestam* vocavit, & alibi *terribilem.* Tacitus I. Annal. *Cajum remeantem Armenia, & vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit.* Idem paulo infrà: *Livia novercalibus odiis suspecta.* Harum perfidia, dolus, & erga privignos odium patet ex Dioclet. & Maximiani rescripto, lib. I. *Cod. quib. caus. cess. long. tem. præscriptio.* Adde lib. IV. *D. de Inof. test.* & Silv. Aldobrandinum §. *Socrum quoque. Inst. de nupt.*

Ante cibos igitur juglandis fœtus edatur.] Plinius libro XXIII. cap. octavo: *nuces juglandes Græci à capitis gravedine appellavêre.* & addit denique: *eædem præsumptæ venena hebetant.* Græci *juglandes*, hoc est, Jovis glandes, Διὸς βαλάνους appellavêre, quæ sunt κάστανα veterum. Hesychius: Διὸς βάλανοι. Ἕρμιππος Φορμοφόροις.

Τὰς δὲ Διὸς βαλάνους, καὶ ἀμύγδαλα σιγαλόεντα.

τὰ καστάνεια, τινὲς δὲ Ποντικὰ λέγουσιν, ἢ Ἡρακλεωτικά. Pollux de castaneis: ἔνιοι δὲ ζῶζα καὶ Διὸς βαλάνους ὑπὸ τῶν ποιητῶν κεκλῆσθαι νομίζουσιν. igitur rectè Dioscorides περὶ καστάνων, carnem (*fœtum* appellat Serenus) iis, qui ephemerum biberunt, convenienter dari tradit: ἡ δὲ σὰρξ καὶ τοῖς ἐφήμερον πεπωκόσιν ἁρμόζει. *ephemeri* nomine cætera venena comprehendit. Sed de eo remedio videsis Aëtium tetr. IV. cap. XLVIII.

Produnt electri variantia pocula virus.] *Variantia* ad

Digitized by Google

ad similitudinem arcuum cœlestium. ita haud dubiè legendum. Plinius de electro: *Quod est nativum, & venena deprehendit. namque discurrunt in calicibus arquus cœlestibus similes, cum igneo stridore, & gemina ratione prædicunt.* libri tamen: *rorantia pocula virus:* sic etiam avitus.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis.] *multis Mithridatia fertur*, admittemus ex avito, cæterisque vetustis. Glossæ: *mithridatia*, μιθριδάτιον. μιθριδάτιοι ἀντίδοτοι à Græcis vocantur. Omnes propè medici diversam synthesin ejus antidoti tradiderunt, ut habes apud Galenum ex Antipatro, Cleophante, Damocatre, Xenocrate, Andromacho. Græci quoque & Arabes aliam ac aliam ejusdem miscellam composuere. Simplicissimam habes apud Plinium libro XXIII. cap. VIII. à quo Serenus descripsit. *In sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti, Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti, è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die.* eam scripturam, ex optimis etiam libris, in Sereno admisimus: *totidem cum corpore ficus.* vulgò, *terno cum corpore ficus*, legi scio, quod omnino mihi suspectum videtur.

VENENIS DATIS.

INstilles pateris, poterunt haud ulla nocere Pocula] Sic legendum, non, ut alii: *Instilles parvis.*

Digitized by Google

VULNERIBUS EX RE DUBIA CURANDIS.

ITa retinet exaratus avitus, ita plerique veterum librorum: in uno, quod sciam, Pithœano: VULNERIBUS ET RUDUBIÆ CURANDIS, unde conjicit ille scriptum: VULNERIBUS ET REDUVIÆ. nihil hic de reduviis: nec placet ejus vocis expositio, quam ille fingit libro II. cap. XIX. adverſ.

Marrubium si tu recoquas, illoque liquore] Libri nonnulli: *Marrubium si thure coquas.* alii meliores: *Marrubium si melle coquas.* Dioſcor. τὰ ἢ φύλλα καταπλασσόμενα σὺν μέλιτι, ἕλκη ἀνακαθαίρει.

Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus.] alii *obducere vulnus.*

Aut facilis lapathi coma latior ulcera purgat.] In avito & Gryphiano: *cumulatio vulnera purgat.*

VERRUCIS TOLLENDIS.

Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit.] A verruca in labris. Auctor de viris illuſtribus: *Q. Fabius Maximus, cunctator, ut verrucosus à verruca in labiis, ita ovicula à clementia morum.* rectè Schottus ex manuſcr. emendavit: *Q. Fab. Maximus, cunctator, verrucosus à verruca in labris sita, ovicula à clementia morum.* Plinio eſt Fabius verrucoſus; in veteri inſcriptione: Q. FABIUS. MAXU. VERYCOSSUS.

Aut urina canis cum terra inducta madenti.] Marcellus cap. XIX. *Verrucarum genera omnia fimi canini exusti*

Digitized by Google

exusti cinis curat impositus : urina quoque canis cum suo recenti luto inlita plurimum prodest.

Aut herbæ succus, quæ fertur nomine lathyr :] malè *lichen*, in ora quorundam librorum. *lathyr* pro *lathyris*, vox decurtata est, ut aliæ apud Serenum. λαθυρὶς verum nomen est, alii τιθύμαλον appellant. περὶ μυρμηκίας (id est, verrucas minores congestas) καὶ ἀκροχορδόνας καὶ θύμους καὶ λειχῆνας ἐπιχριόμενος. Vide Dioscorid.

Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum] *conchylis sanguine*, liber avitus : supra idem notavimus.

HÆMORRHOIDIBUS MEDENDIS.

NI violet, sanat juglandis fragmine clausa.] de margine quorundam :

Ni violent, sanant juglandis fragmina clausas. Nihil mutandum.

Sal niveum sumes, Beticum quod nomine dicunt.] autoritas in metro. Martialis :

An Beticarum pondus acre lanarum.

SYLLABUS

AUCTORUM,

Qui passim citantur, explicantur, emendantur.

ABsyrtus. 280.
Achilles Tatius. 181. 131. 278. 281.
Acron Horatii interpres. 253.
Actuarius. 154. 155.
emendatus. 154.
Adrevaldus. 94.
Adhelmus de Laudibus Virginitat. 253.
emendatus. 253.
Ægineta. 101. 107. 129. 142. 157. 159. 166. 167. 181. 195. 209. 216. 232. 241. 242. 245. 245. 259. 264. 276.
assertus. 168.
emendatus. 139. 195.
Ælianus. 105.
Æschylus. 94. 179. 231. 278.
Æschylus apud Athenæum. 143.
Aëtius. 93. 94. 101. 124. 138. 155. 157. 181. 190. 209. 216. 216. 232. 250. 256. 261. 262. 292.
Afranius. 203.
Agatarchides. 265.
Agellius. 83. 87. 121. 146. 269.
Alcimus Avitus. 82.
Alexander Trallianus. 63. 64. 65. 66. 67. 103. 117. 140. 212. 272. 276. 286.
Ambrosius. 118.
Ammianus Marcellinus. 117. 204. 224.
Anacreon. 108. 230.
Anastasius. 277.
Antigonus. 202.
Antipater. 125. 217.

Digitized by Google

Antiphilus. 147.
Apicius. 155. 174. 236. 250.
Apollonius. 203.
Apulejus. 87. 88. 106. 177. 178. 194. 202. 217. 225. 234. 273. 282. 285. 289.
assertus. 269.
Arcadius Grammaticus. 94.
Aretæus. 145. 250.
Aristenætus. 103. 230.
Aristophanes. 67. 84. 92. 100. 134. 173. 236. 256.
Aristophanis Scholiastes. 166.
Aristoteles. 105. 108. 122. 200. 221. 248. 277. 286.
Arnobius. 73. 93. 108. 110. 113. 180. 183. 194. 219. 223. 229. 231.
assertus. 167. 255. 257. 273. 284.
Arrianus. 162.
Arrianus in Epictetum. 150.
Astramsychus. 117.
Athanasius. 97.
emendatus. 97.
Athenæus. 90. 95. 155. 159. 173. 173. 200. 208. 220. 267. 277.
Averroes. 63.
Avicenna. 91. 124. 126. 138. 190. 218. 229. 248.
Avienus. 102.
Ausonius. 84. 289.
Aurelius Victor. 166. 192.
Auctor adylus. 49.
Auctor anonymus ex Clearcho. 91.
Auctor anonymus de Lapidibus. 216. 277.
Auctor anonymus Poëta. 217. 230.
Auctor Collect. Geoponicω̃ν. 198.
Auctor definitionum Medicarum. 124.
Auctor de Causis Corrupt. Eloquentiæ. 147.
Auctor incertus de Virtutibus herbarum. 272.

Auctor Introductionis. 237.
Auctor libri de Incantatione. 235. 277.
Auctor libelli de Fortuna Romanorum. 107.
Auctor Lyrici Gallo adscripti. 104.
Auctor Pervigilii Veneris. 131.
Auctor de Viris Illustribus. 294.
BAlbus. 241.
Balsamon. 68.
Basilius. 281.
Boëthius. 200.
CÆcilius. 223. 264.
Cælius Aurelianus. 237.
Calaber. 94.
Callimachus. 86. 99. 104.
Calphurnius. 143.
Calvus. 167.
Capitolinus. 73. 103.
Cato. 88. 98. 103. 156. 197. 237. 272. 285.
assertus. 203.
Catullus. 86. 87. 104. 167. 178. 234. 234. 252.
assertus. 85.
Censorinus. 222.
Cicero. 112. 125. 134. 165. 196. 203. 219. 230. 232.
Cinna. 262.
Claudianus. 82. 101. 271.
Clemens Alexandrinus. 118. 166. 184. 201. 273.
Codex Justinian. 292.
Colloquia Vett. 112.
Columella. 88. 129. 174. 176. 183. 221. 227.
Constantinus Cæsar. 110.
Constantini Geoponica. 63.
Corripus. 85.
emendatus. 85.
Cornelius Celsus. 83. 87. 97. 109. 110. 114. 117. 124. 138. 142. 149. 172. 177. 188. 190. 191. 192. 195. 196

196. 199. 202. 204. 205. 207. 209. 209. 229. 233. 240. 246. 253. 257. 260. 262. 266. 275. 283. 285. 287. 287.
emendatus. 95. 114. 131.
tentatus. 141.
Cyrianus. 103.
DIgesta. 292. 94. 222.
Diogenes Laërtius. 105. 214. 278.
assertus. 214.
Diodorus Siculus. 106.
Dion Cassius. 112.
Dionysius Alexandrinus. 276. 277.
Dioscorides. 89. 89. 90. 90. 94. 96. 97. 99. 100. 102. 103. 108. 115. 115. 117. 120. 121. 122. 123. 125. 126. 127. 131. 132. 133. 136. 137. 138. 139. 142. 143. 144. 147. 153. 155. 156. 160. 162. 173. 174. 178. 180. 181. 182. 184. 188. 192. 193. 194. 198. 199. 201. 203. 204. 205. 207. 210. 211. 213. 215. 215. 221. 224. 225. 226. 226. 228. 232. 236. 237. 238. 239. 239. 240. 242. 243. 245. 245. 248. 250. 252. 254. 256. 259. 260. 261. 263. 264. 266. 267. 271. 276. 279. 281. 284. 287. 294. 291. 295. 292.
assertus. 270.
emendatus. 102. 112. 282.
Diphilus apud Athenæum. 183.
ENnius. 82. 94. 135. 213. 255.
Epicharmus. 113. 221.
Epigrammata Græca. 136.
Epiphanius. 277.
Erotianus. 186. 280. 283.
Esaias Propheta. 290.
Eulogius, Patriarcha. 51.
Eupolis. 177.
Euripides. 96. 133. 135. 200.
Eusebius. 273.

Eu-

Eustatius. 133. 143.
FEstus. 133. 151. 168. 223. 270. 272. 280. 285.
emendatus. 288.
Florus. 142. 193.
Fulgentius. 171.
GAlenus. 83. 86. 90. 109. 113. 118. 124. 126. 143. 145. 157. 158. 160. 165. 180. 183. 186. 215. 218. 225. 228. 229. 230. 241. 268. 275. 283.
Gariopontus. 90.
Glossæ Grecæ. 181. 191. 193. 203. 280. 286. 289.
emendatæ. 208.
Glossæ Græco-latinæ. 152. 192. 201. 201. 241. 241. 256. 262. 273. 276. 291.
emendatæ. 208.
Glossæ Iatricæ. 166.
Glossæ Cyrilli. 123. 126. 160. 238. 250.
Glossæ Philoxeni. 130. 134. 206. 224.
Glossæ Latinæ veteres. 91. 92. 94. 124. 126. 127. 252.
Glossæ Latino Græcæ. 96. 98. 100. 104. 115. 115. 115. 121. 125. 126. 129. 133. 134. 134. 139. 149. 167. 168. 197. 204. 205. 206. 219. 227. 237. 238. 241. 245. 246. 253. 254. 269. 287. 293.
emendatæ. 115. 126. 151. 173. 183. 261. 272.
Glossæ medicæ Græcæ. 95. 101. 124. 128. 164. 208. 241. 246. 264. 276. 280.
emendatæ. 97. 103. 144. 205.
Græco Latinæ. 145. 159. 223. 236. 237.
emendatæ. 97. 103. 144. 205.
Glossæ medicæ Latinæ. 111. 129. 132. *Latino Grece.* 113. 121. 124. 124. 128. 129. 132. 141. 194. 225. 286.
emendatæ. 140. 142. 210. 260.
Glossæ vett. Novi Testamenti. 285.
Glossularius in Samonicum. 87. 222. 247.
Gratius. 94. 168.

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Nazianzenus. 223.
Gregorius Turonensis. 211.
H Armenopulus. 119.
Heliodorus. 103.
Herodianus. 103.
Herodotus. 113. 264.
Heraclides Tarentinus. 157. 236.
Hesychius. 92. 113. 126. 133. 155. 159. 160. 166. 168. 168. 172. 176. 178. 179. 184. 193. 203. 204. 207. 253. 261. 276. 284. 286. 290. 292.
emendatur. 133. 197. 283. 288.
Hesiodus. 206.
Hieronymus. 143. 204.
Hippocrates. 58. 94. 126. 142. 218. 222. 241. 268. 280. 286.
Hipponax. 203. 206.
Homerus. 65. 66. 96. 102. 152. 269. 285.
Horatius. 115. 131. 192. 195. 201. 223. 236. 240. 278. 291.
assertus. 200.
Hyginus. 84.
I Nscriptiones antiquæ. 294. 294.
Jon Chius. 153.
emendatus. 153.
Isidorus. 82. 63. 127. 131. 140. 151. 171. 187. 205. 206. 253. 279. 285. 288. 290. 290.
notatus. 255.
Isidorus Pelusiota. 82.
Juvenalis. 114. 126. 127. 129. 133. 169. 291.
emendatus. 153.
L Aberius. 89. 225.
Lactantius. 135. 230. 231. 289.
Lampridius. 87. 91. 103.
Leges XII. Tabb. 285.
Leges Longobardæ. 289.

Leonis

Leonis Tactica. 258.
Leucippus. 118.
Lexicon Chymicum Græcum. 138.
Linacer. 283.
Livius Andronicus. 96.
Livius Patavinus. 258. 283.
Lucanus. 104. 131. 291.
Lucas Evangelista. 106.
Lucianus. 162. 243. 243. 249. 249. 251. 259. 286.
Lucilius. 95. 98. 133. 184. 269. 289.
Lucretius. 95. 113. 117. 202. 212. 218. 231. 237. 246. 279.
assertus. 110.
Lycophron. 255.
MAcer. 199.
Macrobius. 69. 70. 71. 72. 99.
assertus. 103.
Marcellus Empiricus. 53. 61. 62. 64. 66. 67. 84. 88. 90. 92. 93. 96. 97. 99. 101. 116. 120. 121. 123. 125. 127. 127. 130. 131. 132. 136. 137. 138. 142. 144. 145. 150. 151. 153. 155. 156. 157. 158. 164. 175. 179. 180. 182. 183. 184. 185. 187. 188. 189. 192. 194. 197. 197. 197. 198. 199. 201. 205. 210. 210. 211. 212. 215. 216. 225. 226. 227. 232. 233. 234. 235. 237. 239. 240. 242. 245. 245. 246. 251. 274. 276. 279. 280. 294.
tentatus. 211.
emendatus. 64. 88. 155.
Marinus. 85.
Martialis. 86. 89. 91. 110. 128. 183. 196. 199. 205. 220. 250. 253. 295.
Martianus Capella. 238.
Mart. Victorinus. 94.
Mattius. 252.
Menander. 223.

Digitized by Google

Minucius Felix. 134.
Musæus. 217.
Myrepsus. 139. 141. 176. 226.
emendatus. 214. 237.
NEmesianus. 98. 111. 185.
Neophytus. 138. 166. 215.
Nicander. 98. 100. 143. 176. 180. 198.
Nicandri Scholiastes. 118. 177. 229.
Nicephorus. 61. 289.
Nonius. 115. 230. 268.
Nonnus. 101. 217.
OLympiodorus. 222.
Oppianus. 83.
Oracula antiqua. 220.
Sibyllina. 274.
Oribasius. 177. 181. 224. 276.
Origines. 64.
Orpheus. 94. 104. 120. 265. 277.
Ovidius. 131. 143. 209. 223. 249. 262. 276. 278. 283. 288.
assertus. 222.
PAcuvius. 95.
Palæphatus. 265.
Palladius. 93. 95. 194. 207. 216.
Papias. 256.
Paulus epitomator Festi. 285.
Pausanias. 105.
Persius. 116. 153. 156.
Petronius. 118. 155. 213. 230, 234. 279.
emendatus. 84.
Phavorinus. 113.
Phædrus. 142.
Philemon. 180.
Philo Judæus. 82.
Philo Tarsensis. 169.

Phi-

Philostratus. 118. 171.
Philotheus in Hippocrat. 186.
Phlegon. 171.
Phormitus. 83. 224.
emendatus. 83.
Photius. 86.
Pindarus. 84. 101.
Plato. 112. 186. 230.
Plautus. 92. 135. 192. 217. 229. 255. 258. 269. 283.
Plinius. 53. 67. 87. 89. 91. 96. 100. 101. 102. 105. 105. 106. 107. 125. 131. 132. 136. 137. 138. 139. 146. 511. 160. 161. 162. 166. 168. 172. 174. 175. 176. 180. 184. 187. 189. 193. 194. 195. 198. 199. 201. 203. 207. 207. 208. 210. 211. 220. 221. 221. 225. 226. 226. 227. 228. 231. 232. 233. 235. 235. 237. 238. 239. 239. 241. 242. 243. 245. 246. 247. 248. 250. 251. 254. 255. 257. 259. 260. 261. 261. 262. 263. 264. 265. 267. 270. 271. 272. 277. 281. 282. 284. 285. 286. 287. 288. 292. 293.
emendatus. 144. 192.
Plinius Junior. 112.
Plinius Valerianus. 90. 93. 116. 122. 122. 142. 152. 154. 156. 227. 279.
emendatus. 144. 152. 172.
Plutarchus. 105. 220.
Pollux. 92. 118. 150. 238. 273. 292.
Poëta vetus apud Charisium. 261.
Poëta Græcus anonymus. 230.
Polybius. 129.
Priapeja carmina. 184. 237. 284.
emendata. 102.
Probus Juvenal. interpres. 135.
Propertius. 154. 214.
Proclus. 52. 217.
Prudentius. 108. 179. 244.
Psellus. 52. 133.

Digitized by Google

Quintilianus. 86. 107. 147.
Rabi Hama. 59. 267.
Rhemnius Palœmon. 148. 156.
Rufinus. 224.
Rufus. 145. 231.
Sallustius. 178.
Seneca Philosoph. 107. 112. 113. 142. 237. 258. 292.
assertus. 162.
Seneca Tragicus. 173. 292.
Serenus Samonicus, locis non suis. 53. 76. 72.
Scholiastes Aristophanis. 166.
Scholiastes Homeri. 238.
Scholiastes Horatii. 236. 253.
Scholiastes Juvenalis. 235.
Scholiastes Nicandri. 118. 177. 229.
Scholiastes Persii. 177.
Scholiastes Theocriti. 235.
Serapion. 159. 160. 284.
Servius. 73. 106. 185. 204. 210. 214. 244. 246. 284.
Scribonius Largus. 85. 110. 119. 167. 195. 197. 247. 248. 251. 264.
assertus. 209.
emendatus. 194. 263.
Sidonius. 111.
Solinus. 102. 122. 217. 231.
Simeon Sethi. 157.
Sophocles. 63. 143. 231.
Soranus. 49.
Spartianus. 67. 68. 69.
Statius Papinius. 207.
Stephanus de Urbibus. 178. 180.
Strabo. 103.
Suetonius. 79. 129. 192. 234. 272.
assertus. 272.

Sui-

Suidas. 103. 113. 238. 238. 256.
emendatus. 98.
Synesius. 118.
Tacitus. 84. 278. 290. 292.
Tertullianus. 128. 129. 224. 233. 237.
emendatus. 128.
Theocritus. 104. 149. 135. 235.
Theodoretus. 284.
Theodorus Priscianus. 82. 140. 154.
Theognis. 148. 278.
Theophilus Protospatarius. 134.
Theophrastus. 88. 147. 200. 285.
Theophylactus. 224. 286.
Tibullus. 111. 219.
emendatus. 87.
Timæus. 186.
Ulpianus. 134. 285.
Valerius Cato. 235.
Valerius Flaccus. 234.
Varro. 60. 85. 102. 167. 178. 183. 205. 207. 237. 290.
assertus. 168.
Vegetius. 162. 197.
Vestius Valens. 147.
Victor Uticensis. 82.
Virgilius. 95. 106. 115. 119. 135. 146. 147. 156. 185. 187. 188. 196. 200. 204. 207. 213. 223. 231. 243. 244. 253. 265. 271. 283. 284. 292.
assertus. 178.
Vitruvius. 205. 224.
Vopiscus. 194.
Xenophon. 177.
Zeno Veronensis. 273.

zed by Google

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN NOTIS MEMORABILIUM.

A.

Abraca labra. 59. 63. chartæ inscribebatur ad hemitritæum depellendum. 275. 276
Acco, fœmina ftrix fuit. 289
Acetum durum. 98
Achilles Telephum quomodo curaverit. 259
Ἄκοσμοι, calvi dicebantur. 118
Acre, acetum. 168
Acron Agrigentinus. 49
Acutus morbus, pleuriticus. 169
Adadus, Syrorum Deus. 284
Adeps urfina. 183
Ad rutilam fpeciem flavefcere. 102
Ad tertias decoquere. 174
Adfellare, quid medicis. 197
Ægia pro *Ægea.* 84
Ægyptii inventores omnium artium ac difciplinarum. 47
Aërium, mel. 147
Ἀερόμελι. 147
Æfculapius unde dictus. 83. Apollinis filius. 48. medicinam clinicen invenit. 84. Romæ medicinam exercuit. 84. ad vitam mortuos revocavit. 48. 83
Αἱμοῤῥαγία, quid. 225
Alacres vigores. 87
Alba populus, quæ. 131. 238
Albentia membra, hydropicorum. 195
Allia, capita alliorum. 93
Altus fopor, qui. 282
Ambitiofa, medicamenta pretiofa. 144
Ambuftus, quid. 254
Aminæa vitis. 204
Amnes vulneris. 253
Ἄμνιος, nexus uterinus. 223
Ana, quid in myfteriis Mekubalim. 60
Ananifapta, quid. 59
Ἀνασάρκα, hydropis fpecies. 191. 193
Androgæus Minois filius ab Æfculapio ad vitam revocatus. 48
Annuli fuperftitiofi contra colicam. 67
Ἄνθραξ, quid medicis. 242
Ἀνθηρὰ, quid. 126
Antidoti variè vocatæ. 76
Ἀντιάδες, quid. 152
Antipathiæ quomodo eveniant. 54
Ἀφεδρῶνες. 197
Ἀφροδίτη, feliciffimus jactus aleatorum. 107
Apollo medicinæ inventor. 48. Ἀλεξίκακος. 48. Οὔλιος. 48. ocularium medicinam invenit. 84
Apollodorus empiricem fecutus. 50
Ἀποτροπαία, unde nata. 54
Aqua, urina. 213
fperma. 213
Arachnes veftis. 279
Aranea tela. 279
Aranea & *aragnea.* 279
Arthritis unde genita. 240
Arx capitis. 82
Ἀρτιμόνιον, πύρεθρον. 115
Afclepiades medicinam mutavit. 51
Ἀσκαλώνιον & γήτειον mixtim ufur-

Digitized by Google

usurpant. 133
Ἀσκίτης, hydropis species. 191
Asparagi caput, quid. 182
Asperare, verbum scabiosorum. 109
Aspidum tres species. 261
Aspis fera, quæ. 261. 262
Atri pulveres. 289
Atrox livor, quid. 127
Aures incantæ. 132
verminosæ. 132
purulentæ. 132
Auris diversa, quæ. 87. 92
Aurium sordes in medicinis adhibebantur. 241
Ausculari, pro *osculari*, 87
Astra, pro Strige. 289

B.

Balsama, oleum balsaminum. 87
Βάλσαμον, ὀποβάλσαμον & ξυλοβάλσαμον, ut differunt. 87
Βαλσαμίτης, non βαλσαβίτης. 125
Betizari, quid. 234
Bolbus pro *bulbus*. 126
Βοθρία, dentium alveoli. 154
Bromosa, virosa. 290
Bubones, inguinis tumores. 237
Bulbi inter edulia veneris. 236
Burracei, qui. 104
Burri, homines ex potu rubentes. 104
Burrum, rubeum. 104

C.

Cabballistæ literis & syllabis sympathiam adscribebant. 55
Caducus morbus, comitialis. 285
Calbeum & *galbeum*, quid. 272
Calda, aqua calida. 205
Callyonimus piscis. 53
Caracalla superstitiosam medicinam prohibuit. 67
Carbo, carbunculus. 241
Carmina in superstitiosa medicinâ usurpata. 65. Homerica majorem vim habuerunt. 65. iis potores ebrios fieri negabant. *ibidem*.
Carœnum, quid medicis. 216
Carpeum, unde. 272
Caseus caprinus. 267
Castanea nuces. 207
Castigatæ mamillæ. 161
Catuli lactentes admoti præcordiis, dolorem auferebant. 180
Cauteria, quid. 250
Cephalote, thymbræ species. 176
Cerasi pomum, 203. unde primum advectum. 204. longo tempore victum, quid. 204
Ceparum nomine, & allia & porro veniunt. 133
Cerebrum, pro capite. 91
Ceriti, qui vocantur. 115
Ceriti & *cerriti*. 115
Χαλίκρατον, vinum non mistum. 203
Characteres quotuplices in medicina. 58
Charta, pro libro 242. Ægyptia. 125
Χάσκανον & φάσγανον. 245
Chiron chirurgicam medicinam invenit. 84
Chrysippus, medicinæ cultor. 49
Cimices ad quartanam pellendam dabantur. 270
Cinis epota, 167. *lixiva*. 167. 252
Cinis cornu cervini, ramentum. 209
Circinus, quid. 247
Circumcidere vinum, quid. 141
Climactericus annus homini lethalis. 58
Clarinum pecus, simia. 255
Cochleæ ventri molliendo dabantur. 200. partum accelerabant. 221
Coiliaci pro *cœliaci*. 189
Conchylia pro *conchylii*. 252. 295
Comitialis morbus, qui. 285
Conciliare, quid apud medicos. 245
Conseptum templi. 275
Coquere, quid medicis. 88

Digitized by Google

Cornum, pro *cornu*. 209
Cornus, pro *cornu*. 144. 209
Cortex ovi. 205
Corymbi, hederæ baccæ. 160
Crinitæ porri radices. 148
Crissare fluctuante lumbo. 184
Cuminum tenue. 156. tritum. 188
Cunila & *conela*. 176
Cupressus feralis. 236. frondosa 215
Cura, medicina. 94
Curalium, pro *coralium*. 276
Cursus urinæ. 215
Cursus, de fluxu fœminarum. 217
Cydonia poma. 180

D.

Δάκρυον, fici lachryma. 200
Δικάμυρον. 181
Decatorthoma, quid. 181
Decocta, quid. 88
Decoquere, quid medicis. 88
Defendere, arcere. 135
Defrensa quid. 96
Defrens. 96
Delphica frondis. 134
Dentes, arma hominum. 289
Dentire, quid. 206
Dictamum & *dictamnum*. 221
Dictamnum à parituris bibebatur. 221
Diocles Carystius, medicinæ cultor. 49
Διοπτρον, lapis. 160
Disertus, causarum advocatus. 147
Dolor, pars dolens. 116
Domantes flammæ. 153
Domitum ferventibus undis. 153
Domicolium, domicilium. 128
Domus, testa cochlearum. 185
Doridos humor, aqua marina. 159. 271
Dropax, Ψίλωτρον φάρμακον. 196
Dropax appositus, δρωπακιστικὰ φάρμακα. 195
Drolatum, quid. 226
Drosatum & *rosatum*. 226
Ducere & *perducere*, bibere. 194
Dulcacidum, quid. 126. 127. 243
Durum acetum. 98

E.

Elephas, elephantus, elephantiasis. 124
Ἐλέφας, ἐλεφαντία, ἐλεφαντίασις. 124
Elelisphacus & *elisphacus*. 168
Empirice quando inventa. 49. ejus genera. 50. quarè deserta. 51
Ἐμπρεσθότονος, quid. 150
Ennius articulari morbo periit. 240
Ennius pater dictus. 240
Ephesiis literis promissa felicitas 60.
Epileptico concidente, comitia interrumpebantur. 285
Ἐπιληψίας causam naturalem ad Lunam referebant. 286
Ἔργα κυθήρης. 217
Error lymphaticus, morbus. 193
Ἔρπης, quid. 246. 247. triplex medicis. 246
Ἐρυσίπελας, quid. 242
Ἐρυθρόδανον, rubia. 239
Eudoxia Imperatrix magicis literis mortuum fœtum ejecit. 60
Euphorbia. 284
Ἐξαρτήματα quomodo nata. 54
Ex cera, cum cera. 102
Ex oleo decoctum, cum oleo. 90. 122
Exos hirudo. 232
Exsecti risum amittunt. 179
Exuberes & sububeres, qui. 206
Exuviæ, quid. 214

F.

Fabius à verruca Verrucosus dictus. 294
Facilis cera. 102
Facta cera, quæ. 102
Farra, pro farinis. 112
pro graneis. 184
Fasciare, quid. 90

Fecu-

Fecula, lixivium tingendorum capillorum. 103
Felebre, quid. 290
Felix, L. Syllæ cognomentum, unde. 106. 107
Fibra jecoris, pro jecore. 172
Fibræ, jecoris extremitates observabantur in haruspicinis. 172
Fici lachryma, quid. 199
Flavi crines præ cæteris affectabantur. 103
Flemina, quid. 280
Flos capilli. 101
Flos de rore marino. 155
Fluere dicuntur capilli, qui decidunt. 117
Fluere sudore. 106
Fluor capillorum. 117
Fluor & *fluxus alvi.* 202
Fœtus de puerperio. 224
Folgora pro *fulgura.* 97
Frangere comam in gradus. 107
Frangere fruges. 95
Frendere fruges. 95
Fressa faba. 96
Frigus & *rigor*, quid. 122
Frondis pro *frons.* 134
Frondis Delphica. 134
Frondis Persica. 134. 210
Frondosa cupressus. 215
Fucus, pigmentum capillorum. 100
Fumans nix, quid. 243

G.

Galla, quid. 98
Galbeum & *calbeum*, quid. 272
Galbei, armillæ ad ornatum & remedium. 272
Galgalus avicula. 53
Galli cerebrum. 226
Galerita avis, coli vitium sedat. 211
Galenus quando vixerit. 51. medicinæ cultor & propagator. 51
Garancia, quid. 239
Gargara quid. 73
Gello, strix fuit. 289
Γελλῶ παιδοφιλοτέρα; proverbium. 289
Geminæ aures quomodo dicantur medicis, quomodo Poëtis. 87
Gemmæ pro amuletis gestabantur. 277
Genista. 193
Gerinæ ranæ, quæ. 232
Gestus pro *gustus.* 192
Gigeriæ gallinarum. 261
Γλάμα, sordes oculorum. 241
Γλάμα pro γλήμη. 241
Glaucias empiricen medicinam secutus est. 50
Glomerari, de nubibus dictum. 99
Gluttire, quid. 149
Gluttupatent stomachus. 149
Græcia, susceptrix omnium artium ad disciplinarum. 47
Grana, caput antiquis. 92
Gravari somno. 283
Grave, pro lotio. 132
Gryllus à medicis superstitiosis ad faucium dolorem infricatus. 151

H.

Hederacea pocula spleneticis dabantur. 172
Hemitritæum, quid. 274
Hemitritæum Latini suâ linguâ exprimere non possunt. 274
Heraclides Tarentinus empiricen secutus est. 50
Hervum, pro *ervum.* 173
Hianticilla avicula. 53
Hippocrates medicus. 49. medicinam reconcinnavit. 49. ejus tumulus. 49
Hippolitus ab Æsculapio ad vitam revocatus. 48
Ἡμικρανία & ἡμικρανία. 92
Ἡ περὶ, pro περιή. 92
Holera, pro *cholera.* 152
Holera, pro *olera.* 173
Homerica incantatio à Galeno probata. 65

Honor Capitis, capilli. 118.
HOSTIBUS MEIS ID EVENIAT, formula apud antiquos. 279
Humor aceti, acetum. 113
Humor vesicæ, urina. 213
Hydrops ad matulam, quid. 214
Hyoſciami differentiæ. 162

I.

JAO SEBAOTH, in ſuperſtitione uſurpatum. 63
Ἱερὰ νόσ☉, quid. 246
Ἱερὸν, omne magnum vocabant.
Ignis, pro febre. 268
Ignis Divi Antonii. 247
Ignis ſacer, quid. 246
Illota lana. 114
Impar numerus à ſuperſtitioſis medicis obſervatus. 93
Impetigo, quid. 129
Impetus, impetigo. 128
Impetus ab impeto. 128
Impetus alvi. 202
Inducere fronti, quid. 90
Ineptus riſus. 178
Inflammatio, quid. 242. 247
Infeſta noverca. 292
Injuſta noverca. 292
Irrigare exuvias, quid. 214
Juglandes fœtus, quid. 292
Juglandes nuces venenum repellunt. 292

K.

Κάδματα, quid. 280
Κηεὶς τεάκτ☉. 101
Κλαδαεόμματοι, qui. 184
Κνίσσα. 284
Κοεάλλιον & κυεάλλιον. 276
Κορυδαλλὸς. 211
Κυψελὶς, aurium ſordes. 241
Κυψελόβιστα. 241

L.

Lachrymæ arborum. 108
fici. 199. lentiſci. 127
Lachrymoſum ſinapi. 213
Lævor, pro livor. 127
Lævida, quid. 127
Lamiæ infantium tortrices. 289
Lana illota. 114. ſuccida. 225
Languidus penis. 234
Lathyr, pro *lathyris*. 295
Legumen ſiliqua, ſiliqua. 179
Lenibus ignibus coquere. 88
Lentigo, quid. 126
Lentiginoſus. 126
Lentum olivum. 92
Λήμη, ſordes oculorum. 241
Λάμη, unde. 241
Liberare, de parientibus. 221
Libido, de morbo. 113
Lichen, quid. 129
Ligaturæ quomodo natæ. 54
ad quæ pertineant. 63
Λίτρον, pro *νίτρον*. 97
Lixiva cinis. 167. 252
Loci obſcœni, naturalia. 237
Loci, de utero. 237
Lumbi, libidinis ſedes. 183
Lumbrici terreſtres. 101. 209
Lupini triti 243. triſtes. 243
Lupini Manibus exhibebantur in mortuariis. 243
Lymphaticus error, hydrops. 193

M.

Machaon medicinæ cultor. 48
Malis pro *melis*. 167
Magica carmina, quæ. 274
Magicum, occultum. 274
Malum, quid antiquis. 203
Malum, pars affecta. 121
Malva unde dicta. 199
Mandragoras ſoporem infert. 282
Mannus, quid. 253
Marcus Servitius Novianus metum lippitudinis duabus literis diſcuſſit. 60
Maſtiche, lentiſci lachryma. 127
Masca quid Longobardis. 289
Medium ventris, umbilicus. 188
Medulla, pro cerebro. 122. 186
Medulla cervina, adeps. 122

Mel aërium. 147. Niliacum. 158
Μέλκα, lac Græcis. 159
Melk & *milko*, unde dicta. 159
Μῆλον, quid Græcis. 203
Mentastrum. 125
Μεσόρρυον, quid. 230
Migrana, morbus hemicranii. 92
Miscere, bibere. 169
Misera pellis. 129
Minus octo menses, septem. 222
Mithridatia antidotus. 293
Mora, fructus ruborum. 243
Morion, mandragoræ species. 282
Mostra, pro *monstra.* 274
Multos dum, quomodo dictum. 217
Munera conjugii. 217
Myrtus pro *myrti*, 234

N.

Natura, pro feminina. 219
pro naturali. 210
pro utero. 219
Navis ramentum, quid. 162
Nefrendes, qui. 96
Nepa, pro cancro. 136
Nexum & *nixus*, ut differunt. 222. 223
Nidor, quid. 284
Niliacum mel. 158
Ninguit, pro *ningit.* 94
Ninnus, quid. 243
Nitro in lotionibus utebantur. 27
Nix fumans, quid. 243
Nocere aliquem. 258
Nuces castanea. 207. poma duriore corio. 207
Numerus impar in medicinâ observatus. 93. ternarius, mysticus. 235. septenarius, mysticus. 222

O.

Obducere, bibere. 194
Oculi custodes corporis humani. 134
Οἰνόγαρον, garum vino mixtum. 155
Olla Samia, figulina. 233
Olor, pro *odor.* 115. 143
Ὀπισθότονος, quid. 150
Ora vulneris. 254
Orbes oculorum. 231
Orbes, oculi. 231
Ores, pro *aures.* 87
Oricia terebinthus. 214
Oricilla pro *auricilla.* 87
Oricularius clyster. 87
Orion ictus à scorpione periit. 265
Oscedo, quid. 142
Osculinus pro *Ausculinus.* 87
Ossa pro amuletis gestabant. 274
Ostocopos & *hostocopos.* 268
Ovi cortex. 205
Ovi vestis. 205
Ovi pars candida. 248

P.

Palpebræ concidentes. 229
augentes. 229
Pangere carmen. 83
Panis & *panus.* 245
Panus, quid. 245
Papavera somno amica. 91
Papillæ, pustulæ elephantiacorum. 124
Papulæ ardentes, carbunculi. 244
Papyrus, pro libro. 86
Παρίσθμια, quid. 125
Partus, pro fœtu. 224
Parva sabucus. 116
Pavidum, scabidum. 111
Pavor, scabies. 111
Pedora, quid. 241
Peniculi cinis. 252
Περίαπτα & περιάμματα quomodo nata. 54
Percurrere membra. fovere. 112
Perducere, bibere. 194
Penis languidus. 234
Persica frondis. 210
Perula pro *spherula.* 168
Perusta sorba. 207
Φάρμακον, ῥάμμα. 252
Φαρμακῶνες. 252

Φάγαινα & χάσκαινα. 245
Φαγέδαινα, quid 245
Φάτνια, dentium cavitates. 154
Φαρίζειν, pro σφαρίζειν. 168
Φίκλα, lixivium tingendorum capillorum. 103
Pherecydes tragœdus, φθειρίασις obiit 105
φλεμένια, quid. 280
φυλακτήρια, qui. 68
Pilæ, pro *pilulæ*. 121
Pindere, pilo tundere. 185
Piso, mortarium. 185
Pithecium, unde. 255
Platonici & Pythagorici multa superstitiosa receperunt. 55
Πλατὺ ὕδωρ, quid. 159
Podagræ nonaginta species. 249
Podagram quomodo curaverit Sextus Pomponius. 251
Podalirius medicinæ cultor. 48
Pola & polla, pro *pila*. 168
Polulæ, pro *pilulæ*. 168
Πόλος, capitis rotunditas. 92
Poma, pro *prunis*. 198
Poma sabuci. 100
Pomum cerasi. 203
Pomum, de omni fructu molliore. 203. 204
Pomum cerasi longo tempore victum, quid. 204
Populus alba, quæ. 238
Porrigo. 94
Posca, quid. 260
Posca & pusca. 260
Præsenti numine curare. 85
Praxagoras medicinæ cultor. 49
Prima; pro *primò* 94
Prius est, melius est. 200
Proluvium, pro *profluvium*. 225
Proluvium, quid. 225
Psidia, quid. 171
Psylli venenum exsugebant. 257
Pulchrescit cicatrix. 254
Pulcher & polcher. 254
Pulegium potens. 88
Punicea pellis, malicorium. 271
Πύρεθρον, ἀρτεμίσιον. 115
Purgamenta cameli. 129
Purior gustus, melior. 201
Purpura tosta. 252
Pyramea arbor, morus. 206
Pyramea & Phyramea. 206

Q.

Quam prius, pro *quin prius*. 92
Querquera febris, quæ. 269
unde dicta. 269

R.

Radi & tonderi, ignominiosum. 118
Ramentum elephantis. 206
Ramentum navis. 162
Ranæ gerinæ, quæ. 232
Καλαμῖται. 232
Recoquere, pro *coquere*. 88
Resecare podagram, quid. 250
Reduviæ & redubiæ. 241
Ricinus, quid. 238
Ricinus propriè canum vermis. 238
Ricinus arbor. 238
Rigor, quid medicis. 122
Rigor cervicis. 149
Risus ineptus. 178
Sardonius. 178
Ros obscœnus, urina. 130
Ros Bacchi, vinum. 130
Ros pluvius, aqua. 130
Roris lachrymæ. 131
Rosatum, quid. 226
Rosatum & drosatum. 226
Rubia, quid. 239
Rubia pelles inficiuntur. 239
Rubus, folia ruborum. 142
Rubus, mora ruborum. 143
Rugarum sulci. 128
Rutilæ, mulieres rufæ. 103
Rutili crines. 104
Rutilus sanguis. 165

S.

S.

Σάβανον, quid in balneis. 112
Sabucus parva, quæ. 116
tenera. 192
Saccatum, vinum sacco percolatum. 110
Saccatus corporis humor, urina. 110
Σακκίζεσθαι, quid. 110
Sacra, omnia horrenda vocabant veteres. 246. 285
Sacer ignis. 246
Sagina cochlearum. 201
Salamandræ contactu capilli defluunt. 118
Salinacidum, quid. 126
Salinacidum, non *salmacidum*. 126
Samia olla, figulina. 233
Sanguis rutilus. 165
Sanies, pro sanguine. 232
Saphat, quid in mysteriis Mekubalim. 59
Sapyrus. 112
Sardonia herba. 178. comesa homines ridentes interimit. 178
Sardonius risus. 178
Sarissa, quid. 258
Satis melius. 200
Saxifraga & *saxifaga*. 215
Σαξίφραγον & σαξίφαγον, ibidem.
Schias, pro *ischias*. 152. 238
Σχίον pro ἰσχίον. 238
Schiatici, pro *ischiatici*. 238
Schiatica, quid. 238
Scillinum vinum. 194
Scyllite, pro *scillinum*. 194
Scorpio suo vulneri remedium. 266
Secula mortalia, genus humanum. 202
Secus, pro *sexus*. 289
Seges pilorum. 231
Σεληνιακὸν, amuletum contra epilepsiam. 286
Σελινὶς. 268
Sella, ἀφεδρῶνες. 197
Sellæ familiaricæ. 197
Sella mora, quid. 197
Semper-redolentis anethi. 212
Sepiolæ cineres. 127
Septa domorum. 273
Septimo mense perfectus partus nascitur. 222
Septimus numerus mysticus. 222
Serapion princeps empirices. 49
Serenus Samonicus quando vixerit. 59. Gordiani Junioris præceptor fuit. 68. à Caracalla occiditur. 68. ejus libri scripti. 69. Samonicus & Sammonicus appellatur. 74. triplicem medicinam tractat. 76
Serere fœtus, quid. 219
Serpentes, pediculi. 106
Σφάκελος, quid. 247
Σφαίριον, pilula. 121
Siccare pocula iniqua, quid. 240
Σιδία, quid. 271
Siliquæ legumen. 179
Simia homini similis. 255
Simiæ vocabantur astuti homines. 256
Smaragdi virides. 277
Solphora, pro *sulphura*. 97
Sonticus morbus, comitialis. 285
Sopor altus, qui. 283
Sorba perusta, quæ. 206
Sordes aurium in medicinis. 241
Σπάρτον & σπάρτιον. 193
Species, venustas. 103
Specularis lapis, qui. 166
Σπικάδειον. 166
Spes sobolis. 217
Splenia, quid. 89. 90
Σπληνικὰ, qui vocentur. 172
Sputum, tenue corium. 129
Squama, quid. 95. 98

Digitized by Google

Στρόμβος, στρόβιλος. 176
Stancare sanguinem. 164
Stangare, pro *stagnare.* 163
Sterilitas marine an fœminæ sit adscribenda, disputatum apud veteres. 218
Stomachus, rex corporis humani. 154
Storia, pro *historia.* 152
Striges infantium alumnæ. 288
venena iisdem præbebant. 289
Stringere mammas, quid. 160
Strio, pro *historia.* 152
Styracem urebant ad fugandas serpentes. 264
Styrax & *storax.* 264
Subernus, pro *subereus.* 228
Sububeres & *exuberes*, qui. 206
Succida lana, quæ. 225
Succus, pro lacte. 159
Succus asellæ, lac. 159
Succus aminææ vitis, vinum. 204
Sudor maris rabidi, quid. 113
Sudor, morbus pedicularis. 106
Sudore perfluere. 106
Sulci rugarum. 128
Sulphura viva, quæ. 97
Summa boni. 134
Supercilia, quæ. 230
Supercilium, cilium. 135
Σύστημα μύρων. 216
Sylla Dictator morbo pedicularis obiit. 106
Sylva capilli. 108. 233
Sympathiæ quomodo eveniant. 53
Synthesis, quid medicis. 210

T.

Tænia, quid. 208
Ταινίαι, quid Græcis. 208
Talia, pro *talea.* 130
Tallæ, folliculi ceparum. 133
Tangere corpus, quid. 107
Taurus, sutura testium. 236
Tecolithos gemma. 216
Tecta ostreorum. 122
Tela pilorum. 231
Telum, morbus lateris. 172
Telephus ab Achille vulneratus. 259
Τηλέφιον ἕλκος. 259
Templa, quid apud veteres. 85
Templi conseptum. 273
Teneris papyris exponere. 86
Tenor membrorum. 81
Tenue caminum. 156
Terebinthus Oricia. 214
Teredines, vermes. 113
Ter despuere in gremium. 235
Ternarius numerus in medicina mysticus. 253
Testa, capitis rotunditas. 92
Themison Asclepiadis auditor. 51
Thalassomeli, quid. 201
Tinea, pro *tænia.* 208
Tingere epulis, quid. 156
Tingere in aceto lactucam. 156
Titinius Vectius comicus antiquus. 291
Tobias paternam cæcitatem felle piscis discussit. 53
Tofus, quid. 139
Togata, comœdiæ Romanæ. 291
Tolles, tonsillæ. 151
Tollas vel *toles.* 151
Tonderi & radi, olim ignominiosum. 118
Tornare pocula. 172
Torridum, pro *tostum.* 144
Toxica, quid. 264
Toxica & *taxica.* 263
Tracheli, quid. 155
Tractare frontem. 90. 91
Tractatrix. 91
Τρηκτὸς κηρός. 101
Trahere liquores, bibere. 173
Trita mentha. 90
Tritus lupinus, quid. 243
Tristes lupini. 243
Τυμπανίας, hydropis species. 191
Tuphus, pro *typhus.* 140

Typus, febrium horror. 140

U.

Vallum, quid in oculis. 230
Varia, παρδαλις. 125
Varis, in fronte dispatentes. 125
Varius, porriginosus. 98
Venena, pro morbo vel affectu. 152. Φάρμακα. 152. tinctura. 252
Veneris labrum. 285
Venter, διαχώρησις. 206
Veternus. 283
Vestis Arachnes. 279
Vettonica, pro *vetonica*. 260
Victa aquae, coctae. 174
Virus, humor fluens. 123
Vis veneni. 117
Vis frigoris. 117. 121
Visus, pro oculis. 139
Viscus, numero sing. 251
Ulyssi sanguis Homericis carminibus repressus. 65
Unguen, pro unguento. 98
Vorare, edere. 156
Vulneris amnes. 253
Vulneris ora. 254
Vulvae leporis, ad conceptionem & partum comedebantur. 220
Vulvae antiquis non adnumerantur eduliis. *ibidem*.
Urere dicuntur nives. 291

Z.

Zona, quid. 246
Ζωςήρ. 247

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google